IO. BAPT. PORTAE NEAPOLITANI SUAE VILLAE OLIUETUM SIUE LIBER SEXTUS

Giovan Battista Della Porta

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. BAPT. PORTAE NEAPOLITANI

SVAE VILLAE

OLIVETVM

SIVE

LIBER SEXTVS.

1133.23



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

NEAPOLI.
Apud Hæredes Matthiæ Cancer.
M. D. LXXXIIII.



ILLVSTRISS. MO.
D. FABRITIO CARAFAE, CASTRIVETERIS MARCHIONI.

Io. Baptiſta Porta Neapolitanus
S. P. D.

RVSTICVM, & inurbanũ me eſſe haud equidem inficiarer, ſi ruſticam rem deſcribentem ita memoria fefelliſſet, vt nobiliorem, & nullis non vrbaniorem te innominatum omnino præterirem: quum in vniuſcuiuſq. meæ villæ, quam conſtruo partis præfatione delectiſſimorum amicorum meminiſſem, qui ſummæ doctrinæ, aut erga præſignes literatura viros amoris, aut nobilitatis, aut morum caſtitatis inter cæteros ſingularitatem quodammodo prætuliſſent. Mei amoris, & obſeruantiæ futurum monumentum. Quis enim nobilium humaniſsimus, aut humilium nobiliſſimus? Quis prudentum literatorum amantiſſimus, aut literatorum amantium prudentiſſimus? nemo quidem niſi tu, cui hæ dotes domi vernæ ſunt: inuidendus potius, quam imitandus. Oliuetum noſtrum iam diu tibi deditum offero, tùm quòd tui oppidi (propè cadauer antiqui Caulonis) amœni colles oliuetis vi-

rent, tùm quod apud Olympiam mundi vrbem, ludis pa nathenæis viuentium omnium inſuperabili paleſtra cum inanis gloriæ, ambitionis, ſuperbiæ, auaritiæ, reliquisq; monſtris continuò luctaris, ac victori tibi à conciuibus tuis ea corona debetur, quæ ex hac arbore ſtatuitur. E carceribus enim non ſolum ad oleas perueniſti, ſed extra oleas. Et ſi ob tuam in me beneuolentiam properatæ huius, & penè abortiuæ opellę indignum erit munuſculum, nihiloq; ſatis noſtro deſiderio facturum: memorare Epimenidem Phæſtium, qui quum Atticam vrbem expiaſſet, leges auxiſſet, moresq; inſtituiſſet, ſpretis Solonis, & Athenienſium præclaris muneribus, cum ſolo oleæ ramuſculo deceſſiſſe. Perhumaniore igitur affabilitate, qua te cunctis amabilem reddis, excipies, votoq; meo defunctum lætabor, ſi tuo acri iudicio hæc, quantulacunq; feriunt, probata ſenſero. Vale, & me ames.

IO. BAPT. POR. NEAP.

SVÆ VILLÆ,

OLIVETVM

SIVE

LIBER SEXTVS.

PROOEMIVM.

POMARIVM Meum clauſum iam, firmoq; munimento vallatum putaram,& in vineã progredi accingebar, ſed memini de olea me dicturum, ob id lectores ne tædeat proximum montem ſubire,vbi oliuetum cõſtitutum. Decreueram enim prius oleam ipſam apud bacciferas arbores pomario locare,ſed delitiæ,& diuitiæ huius plantæ,& accurata,diligensq; eam ſerendi ars,quæ amplam,exactioremq; commentationem expoſcebant,me ab inſtituto propoſito auerterunt,vnde hic proprius erit oleæ locus,hoc libro eius hiſtoriam presſius,quàm quisquã author deſignauerit,complecti decreuimus. *M.* Cato oleto quartum locum dedit. Varro ſui ruſtici operis principio Mineruam deprecatur, cuius procuratio oleti eſt, Stirpium nobilisma , & mortalium ſorti vtilisſima , vt qua animalium princeps homo ferè victum trahat. Virgilius ob ſuas dotes vici præpoſuit,& ſi vitem dignitate ſuperabit, quæ ex naſcentibus planta erit, quæ ei conferre posſit? Feneſtella (Plinio referente) omnino non fuiſſe in *Italia* , Hiſpania , atq; *A*frica, Tarquinio Priſco regnante, ab annis populi Romani 183. quæ nunc peruenit trans Alpes quoq; & in Gallias , Hiſpaniasq; medias, Vrbis quidem anno quingenteſimo quinto *A*ppio Claudio Cæci nepote. *L.* Iunio Coſs. olei libræ duodenæ asſibus veniere . Et mox anno ſexcenteſimo octogeſimo *M.* Seius *L.* F. ædilis curulis olei denas libras ſingulis asſibus præſtitit populo Romano per totum annum. Minus ea mirentur,qui ſciat poſt annos. 22. Cn. Pompei IIII conſulatu oleũ prouincijs Italiam miſiſſe.

Quod olea Mineruæ dicata ſint. Cap. I.

Mineruæ oleam ſacram dicunt tum Græci, tum Latini ſcriptores omnes, quòd illius inuentrix fuerit, aliasq; multas ob rationes, Virgilius

Oleęq. Minerua
Inuentrix.

Plinius etiam ſcripſit. Olea Mineruæ dicata ſeruatur. Primo quod olea uirginea manu ſata, & exculta, uberiores præbeat fructus: purita tis ſiquidem amantiſsima, labisq; neſcia; ob id uirgini Mineruæ dicata. Addit Florentinus græcus; quod quum pura ſit olea, puros etiam eſſe vult ſuos collectores, & iurare, quod à ſola propria uxore veniant, & non ab alieno cubili, & ſic in ſequenti tempore plurimum fructum exhibebit. Ferunt etiam in Anazarbo Ciliciæ pueros caſtos oleam co lere, & propterea olea apud ipſos fertiliſſimam, & fructuoſiſſimam eſſe. A quo Palladius. Græci iubent oliuam, cum plantatur, & legi tur à mundis pueris, atq; virginibus operandũ, credo recordati arbori huic eſſe præſulem caſtitatem. Martianus Capella oleam Mineruæ ſacram dicit, quod artes, & diſciplinæ, quarũ illa dea eſt, oleo lucerna rum lucubrationibus perdiſcantur. Inquiens libro ſexto.

Hinc iam v[illegible]nicomæ frondent tibi munera oliuæ
Artes cura vigil, per te quod diſcat oliuo.

Demoſthenes demonſtrare querens, quod ſobrius multas noctes uigilijs abſumpſiſſet, & lumen, & oleum multum triuiſſet, dixit, plus olei, quàm vini abſumpſiſſe. Phurnutus olei munus Mineruæ eſſe dixit, quod ſemper in virore ſit, & glaucum colorem præſeferat, & adul terari alio liquore nequeat: ſed ſemper in ſua ſinceritate permaneat. Sed de Olearum origine ita Græci Scriptores fabulantur. Cum à pri mordio tellus aquis emerſiſſet, primum Athenis emicuiſſe dicunt: cũq; Minerua, & Neptunus amore loci capti, de ciuitatis ſibi nomine di

can-

cando contenderent (vt Cicero pro L. Flacco dixerit. De quorum urbis poſitione propter pulchritudinem inter deos certamen pro... ū eſt) Iuppiter eorum controuerſiam dirimere cupiens, tulit ſententiam Eum oppidi principatu potiturū, qui hoc meliori poſſeſſione donaret: Neptunus itaq; portu, & naualibus exornat, Minerua in Acropoli cum lætam, et uirentem, tum fructiferam oliuam edidit: cuius ramum in coronam contorquens capiti ſuo impoſuit, omniumq; calculo uicit, & ciuitatem ſuo nomine nuncupauit: nam Minerua Athene dicitur: uictus itaq; Neptunus ad conſueta munia ſeceſſit. Higinius uerò ait, inter Deos decertatū fuiſſe, qui primus in Attica terra oppidum conderet, & ſecundum Mineruam à Ioue, quòd in ea oleam ſeuiſſet, iudicatum. Alij uerò inquiunt. Poſt Deorum longam dimicationem, etiam uſq; ad ſuccumbentis uindictam, placitum eſt, vt eius nomine ciuitas appellaretur, qui munus mortalibus melius protuliſſet: ſic Neptunus percuſſo littore, tellus equū, animal bellis aptum protulit, Minerua autem iacta haſta oleam procreauit, quæ res melior comprobata, quòd pacis inſigne foret. Sunt qui dicant Neptunum arcem percuſſiſſe tridente, & inde aquarum ſalſos hauſtus proſiluiſſe, ut inde fons in arce fuerit, qui Neptuni us diceretur & Mineruam oleam euocaſſe haſta, quæ omnibus utilior viſa eſt, ut ei Athenæ cederent arbitratum. Alij dicunt: poſt longā altercationem in id conuentum fuiſſe, ut ambo ſimul Athenis præeſſent. De hac contentione Statius.

Ipſa quoq; in pugnos vacuatur collis, vbi ingens
Lis ſuperum dubijs donec noua ſurgeret arbor
Rupibus, & longa refugum mare frangeret vmbra.

Et Virgilius Georgicorum primo.

„ Tuq; ó cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti.

Plinius ad ſua vſq; tempora oleam durare tradit in certamine editā à Minerua. Sed hanc fabulam. M. Varro ad veritatem ita traducit: Aedificatis autem Athenis, & ibi imperante Cecrope: in arce ſponte

nata olea, & ibidem alio loco aquarum ſcaturigo: his prodigijs perter-
ritus F[illegible], formidans ne hæc portenta futurarum calamitatum præſa-
gia forent, Apollinem Delphicum ſciſcitatum miſit, qui reſpondit, oſten-
tum illud nil mali portendere, ſed Deorum contentione binorum deur-
bis nomine impoſitione decertantium, per oleam Mineruam, & per un-
dam Neptunum ſignificari, liberumq; eſſe Athenienſibus ex utrius Dei
appellatione ciuitatem denominare, Cecrops mares, & fœminas ad cõ
ferenda ſuffragia conuocat, mares pro Neptuno, mulieres pro Miner-
ua ſententiam tulere, & quia fœminæ numero plures, vt ferè ſemper
ubiq; eſt, pro Minerua uicerunt: indignatus Neptunus Athenienſium
terram inundauit: quare ut ſupplicio mulierum uacarent, Athenas uo-
carent, néue naſcentium vllus materno nomine cenſeretur, & demum
ne mulieres ſuffragia ferrent. Sed Plutarchus in Themiſtoclis vita ait
ex re ipſa fabulæ locum fuiſſe, etenim is effecit, vt ciues omiſſa naui-
gatione arbores conſererent, & fertiliorem eorum regionem redderẽt
oleis, quarum ager atticus apprimè ferax eſſet, atq; ex earum fructu
non minimum queſtum facerent. Vel Athenienſes primos fuiſſe, qui
hanc plantam & nouiſſent, & ſtudio coluiſſent. Theophraſtus refert
Athenis oleam antiquiſſimam fuiſſe. Sed de oleæ inuentione alij alia
tradunt. Quippè Diodorus Mercurium inuentorem, non Mineruam
fuiſſe, eiq; olei educendi, exprimendiq; inuentum tribuit: nam ante Mi-
neruam, hæc cum cæteris ſylueſtribus immiſta, ignotaq; erat, uiliſq;
habebatur. Et Cicero libro de natura Deorum, Ariſteum Apollinis fi-
lium oleæ inuentorem fuiſſe ſcribit. Tacitus refert Latonã partu gra-
uidam apud Cenchrum amnem propè Ortygiam oleæ adnixam Apol-
linem, & Dianam enixam. Sed hæc poetarum figmenta ſunt, qui ſub
fabularam inuolucris uim, & plantæ naturam demonſtrarunt, ſecus
autem noſtra fides ſentit: Immẽſus enim omnium creator Deus iuſſit,
ut terra plantas omnes produceret, quæ nulla penitus intercedente ma-
teria, quod eſt ſupra hominis captum, plantas, ſtirpeſq; omnes produ-
xit, ſolius Dei honos & gloria eſt.

Quanto honore habiti fuerint, qui in ludis, ſolemnitatibus, & victorijs corona oleaginea coronarentur. Cap. II.

EX Prædicta Palladis victoria ſuper Athenæ urbis nomine impoſitione, tanti Athenienſes oleam fecere, ut in eorum victorijs, ſolemnitatibus, ludiſq; oleaginea corona donum, & geſtamen fuerit, et victoriæ ſignum apud eos eſſe cœperit, ut ex Halicarnaſſeo habetur. Scribit in artibus Dionyſius, In oleæ laudibus illud meritò recenſeri, non modo, quòd illa ſit Palladi ſacra; ſed quòd ueteribus ex ea conſtituebantur trophæa, quodq; ſit victoriæ ſymbolum: nam et Neptuno ſuperato, hac primum Dea eſt coronata. Caſſianus græcus ab hac victoria ſcribit non ſolum certaminum victores, ſed inſpectores etiam, & arbitri ex oleaſtro apud Athenienſes coronari. Ex Plinio quoq; habetur Athenæ victores olea coronari. Seneca oleam gentilem Athenienſium frondem uocat in Hercule furente.

Te ramus oleæ fronde gentili regat Theſeu,
Et Athenienſes patriam coronam.

Græcos Achilli, & Aiaci ob hoſtium victoriam prædamq; coronam ex olea donaſſe memorat Dictys Cretenſis. Et in bello, quod Græci cum Xerſe geſſerunt, Themiſtochi, & Euribadi eandem coronam sūt largiti. Idem Dionyſius Halicarnaſſeus ait, Romanos idibus quintilibus, quæ dies cladis latinorum fuit, Caſtori, & Polluci ſacra facere, & milites, quibus equi è publico donati ſunt, tributim, curiatimq;, ac cateruatim olea coronatos incedere, ac ſi è pugna, & victoria redirent, ab æde Martis uſq; ad eorum ædes progrediēdo. Plinius ad id. Oleæ honorem romana maieſtas magnum præbuit, turmas equitum idibus iulijs coronando, item minoribus triumphis ouantes. Qui etiam pro Republica aliquod egregium facinus peregiſſent, eadem oleaginea corona donarentur. Thraſibulus occupato loco, cui Phila nomen, & quum triginta Athenienſium tyrannos ſubſtuliſſet, et ciuitatem in priſtinam libertatem

bertatem uindicaſſet, prædicta corona inſigniri requiſiuit. Hanc enim donare bonos ciues Athenienſes conſueuiſſe Valerius Maximus eſt au thor, quæ ex duobus ramulis complicabatur, eaq; Periclis caput incin ctum fuiſſe. Panathenæa, quæ Athenis magna ſacra dicebantur, ſingu lis annis celebrari ſolita, quæ Theſeus in Mineruæ honorem primus in ſtituit: Erant ſolum pueri certatores, quorum uictoris præmium coro na Oleagina fuit, & oleum, quod ex ſacra olea preſſum erat. Inſtar huiuſmodi ludorum Aeneas ludos curules fecit, in quibus uictores olea ginea corona coronabantur. Virgilius.

Tres præmia primi
Accipient, flauaque caput nectantur oliua.

Quod olea ueniæ, & pacis index ſit.
Cap. III.

OLeam Græci elæam uocant ab eleos, ideſt miſericordia, eſt enim ſupplicantium, & pacis ſymbolum, ut qui has petant, oleam ma nibus geſtent. Athenienſes contra Timocratē ſordidati, & oliuam ge ſtantes ſupplicare ſoliti fuerant, ut narrat Demoſthenes. Artaxerſi, ut author eſt Siculus in uit: Philippi, Sidonem obſidenti, quingenti pri mores ciuitatis oleæ ramos geſtantes obuiam fiunt, pacem peten tes. Deuicti item Carthaginenſes, conſulente Annibale, ad Scipio nem ad deprecandam pacem, & miſericordiam decem è ciuitatis prin cipibus ſeligunt, quos nauis oleæ ramis uelata deferebat. Romani quū bellum cum Perſa Macedoniæ Rege gererent, Alexandrini legati ſor didati, barba, & capillo promiſſis, & oleæ ramos ferentes, in romanā curiam progreſſi ad miſerationem procubuerunt, Liuio ſcribente. Eo demq; Rege deuicto, Rhodiorum oratores, habita prius oratione, ue niam deprecantes, & ramos oleæ geſtantes, uniuerſi prociderunt. Et apud Apuleium mulieres propter homicidium uiduæ, ſibi ipſis à iudi cibus commiſerari cupientes, ramos oleaginos ferunt. Aeneas ad com

miſeratio

miſerationem implorandam ob tempeſtatem, Aeneidos quinto

Ipſe caput tonſæ folijs euinctus oliuæ,
Stans procul prora pateram tenet, extaq; ſalſos
Porricit in fluctus, ac vina loquentia fundit.

Et libro ſeptimo.

Centum oratores auguſta ad mœnia regis
Ire iubet: ramis uelatos Palladis omnes:
Donaq; ferre uiro, pacemq; expoſcere Teucris.

Sed lugentes non coronatos, ſed manibus tantum ferre decet.

Paciferæq. manu ramum prætendit oliuæ.

Et Statius Thebaidos *duodecimo.*

Vittatæ laurus, & ſupplicis arbor oliuæ.

Ouidius *Metha. Sexto.*

Circuit extremas òleis pacalibus oras.

Et Columba poſt commune omnium animantium naufragium à Noa *ex* Area *tertiò emiſſa, roſtro oliuæ ramum pertulit, generi videlicet humano à* Deo *ſummo pacem redditam ſignificare uolens. Immo cum nos meliorem aliquem ſignificare uolumus, oleæ ei ramum porrigimus: quod etiam expreſſit* Virgilianus Aeneas.

Optime Graiugenum, cui me fortuna precari
Et victa comptos voluit prætendere ramos.

De Oleæ laudibus, & quanta antiquitus habita ſit veneratione. Cap. IIII.

TANTA *erat apud Athenienſes olea dignitate, ut ſi quis aliquam oleæ plantam uel ſubriperet, uel diſcinderet, in iudicium uocaretur, ac pro ſacrilego condemnaretur. Erantq; magiſtratus deputati pro huius oleæ cultura. Et quum* Lacedæmones *ad* Athenienſium *expugnationem ueniſſent, eorumq; regionem ferro, & igne deuaſtaſſent, oleas ſolum non attigerunt, tum plantæ ueneratione, tum pœnæ*

timore: Nam Athenienſes & hoſtes, et amicos diris blaſphemijs perſequebantur, qui oleam uiolarent. In profanis uſibus, authore Plinio, oleam pollui fas non erat; ut ne propiciandis quidem numinibus accendi ex ea altaria, aræue debeant. Plutarchus in Solonis uita narrat, quòd Athenienſes cum ciuitatem ſollicitam haberent oſtentis, & piacula appeterent ad expiandam eam: Epimenides Phæſtius ex Creta Athenas uenit accerſitus; cumq; ſe Athenis contuliſſet, in multis Soloni adiutor fuit, ad legum condendarum rationem, & quod permaximum fuit placationibus, expiationibusq; ad myſteria, & religionem urbem inſtitués iuſtitiæ obnoxiam, & ad concordiam proniorem reddidit. Magna is igitur admiratione habitus, opes multas, & honores largientibus Athenienſibus, non aliud, quàm ex ſacra olea ramos poſcens, atq; accipiens deceſſit. Erat & Athenis celebritas, quam ereſionem uocabant, à Theſeo inſtituta, qui è Creta Athenas incolumis reuerſus, ſupplicationem Apollini Delphico pro facili reditu peregit, ereſionem offerens. Erat enim ramus è ſacra olea, alba lana implexus, erion græcis dicta, in quo plurimarum arborum fructus, quem acrodrya uocabant, circumpendebant, à Theſeo poſt Athenienſes annuatim Apollini uotum perſoluerunt, hunc enim ramum puer in Apollinis foribus affigebat, ſinguli uerò poſt ante ædium ianuas, eademq; die, ut meminit Plutarchus in Theſeo, oſchophoria celebrabantur, ac ſi ramalia dicas à ramis ferendis, oſchos enim ramus eſt. Sophocles in Oedipo coloneo in Atticæ terræ encomio, ſacras ibi oleas fuiſſe dicit, quarum Iuppiter cognomento Morios cuſtos erat. Hæc olea morias dicta erat à cæde Halirrhothij Neptuni filij, qui cum eam in odium Palladis uictoriæ excidere tentaſſet, ſibimet ſecurim, cum aberraſſet impegit, ut inde occumberet, ut à caſu hoc oleæ nomen deſumpſerit. Tantaq; eſt huius plantæ pulchritudo, quod princeps poetarum Homerus cum egregiam aliquam ſpeciem iuuenum deſcribere quærit, oleæ cõparat, quæ humi lætitia, cœli clementia, ac uentorũ benignitate nitida uigoreq; plena è ſolo ſurgat. Euphorbus cum à Menelao cæderetur, comparat eum caſum oleæ, quæ uento

rum ui

rum ui deturbati humi procumbat, ubi uerò iuuenum formam non me morat, eos quercui, uel pini aſſimilat. Et in ſacra pagina ubi neceſſe eſt perfectæ alicuius ſpeciei meminiſſe, olea commemoratur. Quaſi oli ud ſpecioſa in campis, cum uirginalis pudoris, & puritatis ſpecimen quodam præſeferat.

De Oleæ neceſsitate, & Vtilitate Cap. V.

OLearum uſus tantus, & tam multis in rebus uarius eſt, ut multiplices eius utilitates arduum ſit enarrare; ſed paucas, uel nonnullas in medium afferre non inconcinnum eſt uiſum: Ad rei medicæ neceſſitatem nulla res ea maior inueniri poterit. Plinius inquit, liquores duo ſunt humanis corporibus gratiſſimi, intus uini, foris olei, amborum è genere ambo præcipui, ſed olei neceſſarius. Olei liquor recreans membra eſt, cuius etiam poteſtas tepefacere, & contra algores munire. Veteri oleo uſus eſt ad quædam genera morborum. Exiſtimatur & ebori uindicando à carie utile eſſe. Certè ſimulachrum Saturni Romæ intus oleo repletum eſt. Interrogatus Democritus qua ratione homines inoffenſa ualetudine degerent, atq; animi illum uigorem cuſtodirent, reſpondiſſe fertur, ſi corporis externa oleo, interna melle linirentur. Celebris etiam Pollionis Romuli exemplo: cẽteſimum annum excedentem cum diuus Auguſtus hoſpes interrogauit, quanam ratione maximè uigorem illum animi, corporiſq; cuſtodiſset. At ille reſpondit, intus mulſo, foris oleo. Diuus Ambroſius in Hexamero prodit ægrotantem ceruum ſanum fieri manſis oleæ ramuſculis, & locuſtas ab ægritudine liberari, irroſis oleæ folijs. Illud non omittam perquam utile, ut qui ferrum remollire cupiant, oleo tangant, qui obdureſcere in aquam ignitum mergant. Contra ueſpas remedio eſt oleo aſperg er ore. Pix oleo extrahitur, quando utrunque pinguis naturæ eſt. Thracius lapis aqua accenditur, oleo reſtinguitur. Oleo quidem non apes tantum, ſed omnia inſecta exanimantur, præcipuè ſi capite uncto in

uncti in ſole ponantur. Ad uenenorum hauſtus oleo ſuccurritur ad uomitiones ciendas, ne lædantur præcordia. Vrinantes oleum ore ſub aquis ſpargunt, & clarius omnia pateſcunt. Ad uictum neceſſarius eſt olei uſus. Diuinus pſaltes ait, à fructu frumenti, uini, & olei multiplicati ſunt. Memorabile eſt, quod Plinius ſcribit, Alpibus coercitas, & tum inexuperabili munimento Gallias, hanc primum habuiſſe cauſam ſuperfundendi ſe Italiæ, quòd Elico ex Heluetijs ciuis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum ſiccam, & uuam, oleiq́; ac uini præmiſſa remeans ſecum tuliſſet. Oleum ſuo lumine tenebras diſcutit, ac noctem in diem uertit. Nec prætereundum quod eius uſus erga deos, eorumq́; ſacrificia frequentiſſimus ſit. Sed ne illotis manibus ab ea diſcedamus, ſcriptum reperimus, quòd luctaturi oleo perungebantur: cuius unctionis & ludorum olympicorum inuentor Hercules extitit, ut ex Lucano habetur.

Ille Cleonei proiecit terga leonis
Antæus Lybici perfudit membra liquore,
Hoſpes olympiacæ ſeruato more paleſtræ.

Et Philoſtratus in Paleſtræ icone, oleagineum ramum in Paleſtræ Mercurij filiæ luctæ inuentricis nudo ſinu locauit. Vngebantur luctaturi tū ut eius unguinis lubricitate difficilior foret mutua brachiorum connexio, tum quòd ualidiores euadebant. Author eſt Polybius uictoriæ cauſam, qua potitus eſt Annibal in Italiam contra Tiberium, fuiſſe milites prius oleo perunctos. Propterea Anacharſis ſcytha oleū inſaniæ pharmacum eſſe dicebat, quoniam eo peruncti athletæ feruentius inuicem inſultarent. M. Varro dicit. Olea corpus non ſolum intus ungit, ſed etiam extrinſecus, itaq́; dominum & ad balneas, & ad gymnaſium ſequitur. A quo Plinius. Vſum eius ad luxuriam uertere Græci, uitiorum omnium genitores, in gymnaſijs publicando. Notum eſt, magiſtratus honoris eius octogenis ſeſtertijs ſtrigmenta olei uendidiſſe. Porphyrius Eſſæos è iudeorum genere vngi oleo non pati ſcripſit, quòd ſi quis Oleo tactus fuiſſet, tanquam à magna corporis

macula

macula, diligenter abſtergebatur, quòd eos corpore aridos, & duros, non molles fore oporteret. Odores oleo optimè ſeruantur. Ex Plinio habemus, quod diuturnitati eorum tanto utilius eſt, quanto pinguius, & ipſa unguenta uetuſtate meliora. Mirumq; dolcem ſuccum bibere, & alieno infici ſapore, etiam ſi oleum abſq; odore ſit, ut ideo unguenta, ad quæ frequenti uſu nullo modo inficiat, quo teſtatur Lucretius.

Ac poſsis reperire inolentis oliui
Naturam nullam, quæ mittat naribus auram:
Quamminimè, ut poſsit miſtos in corpore odores,
Contractansq; ſuo contractus perdere viro.

Ea hyeme ſecundis menſis libenter ueſcimur, & ſua amaritudine, & ſale potum ſapidiorem efficit, condit dapes, ſuauiorem efficit cibum, ubi imponitur. Diogenes cum uidiſſet iuuenem in diuerſorio oleas eſitãtem, inquit. Si ſic prandiſſes, non ita cenares. Idem etiam cum Platonem in lautiſſimo conuiuio deguſtantem oleas intuitus eſſet, illum percunctatus eſt, quamobrem in Siciliam huiuſmodi menſarum gratia profectus, ap poſitis modo oleis non frueretur. Cui ille. At Hercules ô Diogenes illic & oleis, & reliquis huiuſcemodi pluribus ueſcebar. Cur igitur, reſpondit ille, Syracuſas adnauigare te oportuit? An Attica tunc oleam non ferebat? Quibus uerbis Platonis nauigationem ſubarguere uidebatur. Tã longeuæ arbor eſt uitæ, ut propè immortalis uideatur. Multiplici modo ſeritur, citò comprehendit, & fructificat maxima ubertate. Et quia frondoſa, æternaq; pubet coma, ſolet hyeme à uentis agitari, & ſæpiſſimè deturbari, & ne tam utili bono priuaremur, effecit Dei benignitas, ut detruncatis brachijs, et denuo effoſſo ſcrobe ſata, comprehendat, et citò etiam fructificet, ut quæ tam humanæ uitæ uſui inſeruiat. Facilè colitur, nec neglecta deperit, ut Columella inquit. Longè ex omnibus ſtirpibus minorem impenſam deſiderat olea, quæ prima omniũ arborũ eſt, nam quamuis nõ continuatis annis, ſed ferè altero quoq; fructum afferat, eximia tamen eius ratio eſt, quòd leui cultu ſubſtinetur, & cum ſe non induit, uix ullam impenſam poſcit, & ſi quam

recipit

recipit, ſubinde fructus multiplicat, neglecta compluribus annis, non ut uinea deficit, eoq́; ipſo tempore aliquid etiam interim patriſfamilias præſtat, & cum adhibita cultura eſt, uno anno emendatur. Florentinus ait, quòd non ſolum ſecuros, & firmos redditus habet ex olea prouentus, ſed & maximum bonum eſt, & ad omne utile. Id prætereà præcipuum, & conſideratione dignum habet, quòd non ſicut ficus fructus deprædantur eo tempore, quo maturantur, nam ab omnibus colliguntur, nec ferè alio tunc ruſtici cibo uictitant, quod de oleis non euenit, cũ ab omnibus ſua amaritudine tunc reſpuantur, & non niſi ad oleum, uel ad condituram expetantur. Præterea M. Varro apes ex olea arbore ceram conficere dixit, & ſi Plinius ſcripſerit oliuæ florem ab apibus non attingi, ideoq́; hanc arborem procul eſſe melius ſit. Sed idẽ in arbuſtum non ſperni dixit, ſi non ſit umbroſa ramis. Plinius ſponte naſci in maritimis Syriæ dixit, quod elæomeli uocant. Manat ex arboribus pingue, craſſius melle, reſina tenuius, ſapore dulci. A ſcriptoribus etiam accepimus, Galliæ locis quibusdam ex uulgari olea emanare manna uerè melleum, ſapore, colore, et incorruptum durare. Manat è tenellis ramis, & ſtipitibus, & rimoſis corticibus, uel etiã ſcalpello inciſis, oliua nigricante, uel purpurascente Nouembri menſe, ingruente hyemis ſæuitia. ſectis etiam maioribus truncis initio melle liquidior glutinoſus latex emanabat, poſtea frigore denſior euadebat non tam mel, quàm manna præſeferens.

De Oleæ prodigiis Cap. VI.

EX Theophraſto multa, quæ de oleæ prodigijs dicuntur afferemus. inquit enim. Olea aliquando uiſa eſt delapſis folijs uberes fructus protuliſſe. Quod & Theſſalo Piſiſtrati filio accidiſſe proditum eſt. Folium enim imbecillius eſt, & frigoris uiolentiæ magis obnoxium, ideo abit: ſed fructus non niſi maturus cadit, ante id tempus in permanendo pertinax eſt, ob id perticis decutiunt. Videntur enim naturæ

leges

leges exire,non tamen pro monſtris accipienda. Sic reciſa oleæ ligna,
abiecta,& repoſita terræ fotu omni deſtituta, ſponte pullulaſſe. Sunt
enim hæc natura uiuacia,propenſaq; ad germinandum, ſuæ denſitatis,
humiditatisq; cauſa,quod cum extrinſecus liquoris aliquid ſenſerint,
quam primum germina edunt. Simile in Statuis ligneis, cum ſudant.
Ratio: Quoties adblāditur eis auſtrina tempeſtas tēpore ſuo, ſuaq; hu
miditate: haud tamen omnia,ſed quibus modo pinguis ſuccus in eſt; hæc
inter oſtenta relata habent: Sic etiam olea penitus aliquando aduſta,re
germinauerat tota. Boetiæ uerò germinibus omnibus à locuſtis deroſis
iterum germinauit. Sæpè etiam pars arboris comprehenſa ab altera
proxima eſt,atq; in eiusdem corporis coagmentata magnitudinē: &
ſi lapidem,aut aliquid ſimile arboris alæ inculcaueris,demum inſinua
bitur,atq; occultabitur amplexu auctionis obductæ,quod etiam in olea
ſtro,qui Megaris in foro ſtabat,eueniſſe accepimus,quo ſucciſo urbem
capi,ac dirimi oraculum erat,ſicuti actum eſt,in hoc enim perſciſſo,re-
pertæ ocreæ ſunt,& alia quædam attici ritus,parte qua primum affi
xa fuere,ad ramorum ambitum cōcauata. A Theophraſto Plinius. In
ter arborum uitia eſt & prodigij locus. Inuenimus oleas folia amiſiſ
ſe baccis hærentibus. Sunt & miracula fortuita,oliua in totum ambu-
ſta reuixit,& in Boetia eroſæ à locuſtis ficus, iterum germinauere.
Prodigio autem fiunt graui oſtento: cum in deteriora mutantur, ut
olea in oleaſtrum. Et Laodiceæ Xerxis aduentu platanus in oleam. Su
per omnia, quæ unq; audita ſunt, erat prodigium in noſtro æuo Nero
nis principis ruina factum in agro Marrucino,Vectij Marcelli è pri-
mis equeſtris ordinis,olîueto uniuerſo uiam publicam transgreſſo, ar-
uiſq; inde è contrario in locum olîueti profectis. Herodotus author eſt,
In arce Athenarum templum Erechtheio terrigenæ fuiſſe,et in eo oleā
Mineruæ,& mare Neptuni,& illius teſtimonium diſſenſionis. Hæc
cū in Athenæ Medorum incendio conflagraſſet,eodē die duorum cubi
torum altitudinem repullulauit. Pauſanias author eſt, Cum Xerxes
Græciam inuaſiſſet,milites oleam exuſſerunt,& altera ab incenſionis

die,cum Athenienſes ad rem diuinam miſſi templum aſcendiſſent,fructificaſſe inuenerunt,edito à ſtipite uirgulti inſtar. Illud quoq; ex hiſtoria ſuccurrit. Auguſti temporibus è taberna meritoria trans Tyberim oleum terra erupiſſe,ac toto fluxiſſe die,nulla intermiſſione, quo ſignificatam interpretantur Chriſti gratiam ex gentibus.

De oleæ nomine. Caput. VII.

HElladi, Athenisq; græca appellatio, ellin enim primum uocauit Minerua, quæ ut uidimus oleæ munere Atticam ditauit. Alijs elæa. Latinis olea, & oliua. Caper Grammaticus oliuam arborem eſſe dicit, oleam uerò fructum. Sed hæc differentia uana eſt apud claſſicos authores. Virgilius arborem oleam, & oliuam uocauit Georgicorum ſecundo:

Sed truncis oleæ,melius propagine vites,

In Aeglogis.

Incumbens Damon tereti ſic cœpit oliuæ.

Elaa fructus eſt, latinè olea, & oliua dicitur. Varro. Oleam conditiuam uocat, quæ ad condituram adſeruatur. Columella. Sic curam oliua tertio die poſſis uti. Incipiente bacca nigreſcere Græci drypetas, latini drupam dicunt, authore Plinio. Sic oleæ liquor dicitur oleum, & oliuum, oleum ab olea, oliuum ab oliua. Virgilius Georgicorum ſecundo.

„ Liquidi corrumpitur uſus oliui.

De oleæ deſcriptione. Cap. VIII.

ETSI notior ſit, quàm ut debeat explicari, è Theophraſto hinc inde diſtractam colligemus, diuerſis quippe capitibus eiusdem doctrinam diſtrahit, ut Abſyrtus ille Medeæ non tam membratim fuerit conquirendus. Arbor eſt, crudice ab radice ſurgens, ra-

m. ſo, ſurcu

*moſo,ſurculoſo,non facilè diſſolubili,nodoſo,& ſimplici, niſi quis mul
tiplici caudice diffuſam relinquat . Medulla in ea tam incerta ſpectaz
tur, paruaq́; , ut ſint,qui non in medio ligno haberi , ſed per totum liz
gnum ſpargi uideatur, ut nullus ſit certus medullæ locus , nec deſunt,
qui ea omninò carere exiſtiment. Gongros à quibusdam uocatos habet,
eoq́; morbo plusq̃; cæteræ laborare uidetur,premnum nonnulli appelz
lant,alij crotonam,alij alio nomine utuntur,quia contorta,& plantigez
ra eſſe ſolet,ſic etiam concauitate laborare uidetur. Ex urbanis perpe
tuo uiret. Frondibus anguſtis,quæ tam breui nituntur pediculo,ut qua
ſi defixæ cohæreant. Illud ſanè peculiare euenire uidetur, quod fronz
dium ſupinas partes uertit mox poſt æſtiuum ſolſtitium,eoq́; argumen
to ruſtici confectum ſolſtitium intelligunt,cum ſupina foliorum contra,
quam cæterarum candicãt magis,quàm prona,minusq́; ſunt læuia. Cu
ius cauſa eſt,quia eo tempore foliorum agitur profluuium , & cuncta
affici neceſſe eſt,& infirma,& quaſi ſenio confecta exareſcunt , &
decidunt,reliqua circumaguntur tantumodo : Omnibus igitur illud eue
nit magis,uel minus , ſed conſpectius in ijs eſt , quia ſummo coloris diz
ſcrimine pars prona diſcrepat cum ſupina : hæc enim uiridis,illa aquo
ſa. Flore puſillo quidem,ſed foliato,uno folio conformato, ſed ita impli
cato, ut plura uideantur , ut flos laſinoes : conceptaculo auerſa parte
non indiget , ſed poſtrema eius in angulos exeunt. Fructum in medio
flos ambit , & tunc probè defloruiſſe præbet augurium , cum cadiui,
uelut perforati ſpectantur,nam ſi exaruerint, aut madefacti cum fruc
tu defluant , nullatenus perforantur . Fructificat annotinis ſurz
culis, tam cacumine , quàm lateribus , & quando cacumina ferunt,
copiæ indicium eſſe dicitur . Congeſtum vuæ modo fert frucz
tum , ut Syriæ , alijsq́; locis ob fertilitatem, feracitatemq́; ſoli. Baccæ
carnis callo & nucleo interiacentibus conſtant,& caro in nucleo eſt :
tamen ligno natura operuit. Radice parua, & uelut lacinia ex medio
tendente firmatur,cæteris grandioribus,& contortis , inæqualibus no
doſis,et uilloſis. Quod uſu uenit,quia breues,et tenues illas permultas*

atq; promiſcuas fundant, nam & ſi omnibus paruæ è grandibus exeat, tamen non omnibus eodem modo congeſtæ, frequenteſq;, quod naturæ ipſius proprium eſt. Summo ceſpite hærent, non ſolum loci ratione, cũ recto tramite progredi nequeant, ſed ipſius proprietate. Auctu difficilis: ſed uiuax poſtea, & diutiſſimè durat. Caudice, & laterali germine, nepotumq; procreatione, atq; etiam ſtirpe incorrupta. Vitam ducentos annos tradit Theophraſtus. Cum myrto amore coniuncta eſt, mutuo enim radicum coniugio, & amplexatione gaudent, ut Androtion refert, uirgaſq; myrteas per brachia oleæ ſubire, & uerſari, & fructum olea protectum dulciorem producere, oleamq; ab cuiuſuis arborum uicinia abſtinendum. Sed Plinius, quæ ex Theophraſto accepit, habet. Oleæ folia non decidunt, anguſta, et pediculo breui ſuperne candidiora, & minus leuia. Mirum id, quod oleis euenit, circumaguntur enim folia earum poſt ſolſtitium, nec alio argumẽto certius intelligitur ſydus confectum. Florentibus alijs germinant. Paulo ſerius ſolſtitio florere incipiunt, concipiunt Vergiliarum exortu. Hoc ſydus illarum eſt. Succus earum pinguis. Baccis intus lignum, extra caro, & caro adhæret ligno. Pediculis, et ramulis adhæret. Alternant fructus, quibus ſiccius lignum, ut olea, magis, quàm quibus carnoſum. Radices inæquales, & ramoſæ, per ſumma ceſpitum recto meatu incedentes. Familiare eis, quod plurimum uentorum concipiant, propter denſitatem ramorum, quibus amputatis leuatæ onere in ſua ſcrobe reponuntur. Tardè creſcit. Heſiodus negauit oleæ ſatorem fructum ex ea percepiſſe quẽquam. Longæ eſt uitæ. Durabant ad tempora uſq; Plinij oliuæ in Liternino Africani prioris manu ſatæ. Et Argis olea etiam, ad quam Io in uaccam mutatam Argus alligauerit. Firmiſſimæ ad uiuendum oleæ, ut quas durare annis 200. inter authores cõueniat. Athenis quoq; olea durare traditur in certamine ædita à Minerua. A Virgilio deſcribitur pallido folio, trũco tereti, tarde creſcẽti, pingui, uiuaci, et ſemper uiridi.

Lenta ſalix quantum pallenti cedit oliuæ.
Incumbens tereti Damon ſic cæpit oliuæ.

Virgulta

Virgulta,& procul tardè creſcentis oliuæ.
„ Et pingui Pallas oliua.
Palladia gaudet ſylua viuacis oliuæ.
Conſequitur viridi Mneſteus cinctus oliua.

M. Varro ait. *Admiranda diſcrimina naturalia ſunt, quod ex folijs propter eorum uerſuram,quod ſit anni tempus,dici poſſit, ut olea,cuius folia,cum conuertant ſe,ſolſtitium dicitur fuiſſe.* Sed Aulus Gellius de eo item. Vulgo *& ſcriptum,& creditum eſt folia olearum arborum brumali,& ſolſtitiali die conuerti,& quæ pars eorum fuerat inferior,atq; occultior,eam ſuprafieri,atq; exponi ad oculos,& ad ſolē: quod nobis quoq; ſemel,& iterum experiri uolentibus,ita eſſe prope modum uiſum eſt.*

De olearum generibus,& primo de oleaſtro. Cap. VIIII.

T*Heophraſtus oleam primo in duo genera diſtinguit,in urbanā,& ſylueſtrem. Dicemus primo de ſylueſtri,poſtmodum de urbana.* Prima *Oleaſtri apud Græcos origo ſic ducta eſt,ſi Pauſaniæ credendū eſt,homini doctiſſimo quidem,ſed alioquin ijs in rebus ſuperſtitioſo: Nā et clauā* Herculis *ex Hyperboreis reuerſi ex oleaſtro uoluit fuiſſe, prius ignoto Græciæ,quæ terræ defixa ſponte effloruit apud* Trezoenios *, aut certè iuxta amnem Alpheum,in qua gente locus eſt uerſus mare oleaſtris frequens, quemadmodum ab intorta ſpetie olea celebratur cognominata* (Strepte) *circa* Epidaurum,*adiecta eiuſdem authoris fabula,eueniſſe circumacta manus,*Herculeillac *permeante*. Ouidius *aliam eius originem tradit.* Appulus *paſtor ſaltantes nymphas irridens, & ruſtica conuitia addens in oleaſtrum commutatus eſt.*

Arbor eſt,ſuccoq; licet cognoſcere mores:
Quippe vitam linguæ baccis oleaſter amaris
Exibet aſperitas verborum ceſſit in iras.

Celebra

Digitized by Google

Celebrabantur apud Olympiam Græciæ vrbem ludi, quorum victor olympices dicebatur, cuius pretium erat ex oleaſtro corona, quòd primum Hercules, in cuius honorem inuenti hanc arborem ex Hyperboreis attulerit, Authore Pauſania. Ante Olympiã templum fuit, et ante illud lucus oleaſtris conſitus, ex quibus victores contextis ramis coronabatur. Hoc genus oleæ, ex quo corona donabatur elaia calliſtephanos uocabatur. Plutarchus in Catonis uita, ait ipſum M. Fauonij ædilitate ſpectaculum in Theatro edidiſſe, in quo uictoribus ex oleaſtro coronas, ueluti in Olympicis propoſuerit. Plinius. Græci Olympiæ oleaſtro coronant victores. Ex quo primus Hercules coronatus eſt, et nunc cuſtoditur religioſè. Elephas Chamæleonte deuorato concolori frondi, huic ſuo ueneno occurrit oleaſtro.

NOMEN.

Græcis cotinos dicitur. Gadir Hiſpaniæ ciuitas, aliquando Tarteſſum, et cotinuſa ab oleaſtri ubertate, qui cotinos dicitur, dicta eſt, ſi Euſtrathio credimus. Et ſylueſtris olea, ſi domeſticæ inſeratur, fieri, quæ uocetur cotinodis. Dicitur et agriélea, id eſt ſylueſtris olea. Apud Lacedæmonas, authore Suida, Agrippus dicitur. Deputato oleaſtro, quod inde gignitur phaunos uocatur. Stroptos dictus oleaſter, cui implicitæ fuerunt Hippolyti habenæ, curruſq; eius euerſus: Latinis oleaſter dicitur. Virg.

Indicio eſt tractu ſurgens oleaſter eodem.

Et oleaſtrũ oppidi eſt nomen in Betica Hiſpaniæ, Ptolemeo authore.

DESCRIPTIO.

Theophraſtus ita deſcribit. Oleaſter ſatiua fœcundior eſt, quod ferè ſylueſtres omnes habent, ceu cura fertilitatem minuente. Naſcitur ex ſatiuæ nucleo. Sed manſueſcere cura, uel ſata ſurculis, uel translatione uix poteſt adduci, ut credat. Olea incuria fit oleaſter, ſed ſi ex oleaſtro olea fieret, pro oſtento haberetur. Vita longior quàm oleæ. Sed Olympiæ longiſſima. Plinius. Quadam æternitate conſeneſcunt proxima adoptione uirga emiſſa, atq; ita alia arbore ex eadem iuueneſcente, iterumque & quoties opus ſit, ut æuis eadem olivueta conſtent. Nos autẽ

ita

in deſcribimus. Olea diſtat ab hoc non niſi magnitudine, & habitio re corporatura, eſt enim ipſe rigidiuſculus, impexo, atq; horridiore aſpectu: ſenticoſus ſi in ſaxis naſcatur, qui alioq cum ſatiua idem eſſet, perennis uiroris, fructus numeroſior, par myrto maiori, floſculi raceſmoſi, candidi, odori, & folia.

LOCVS.

Plinius oleaſtrum in montibus naſci tradidit.

INSITIO.

Africæ quidem peculiare eſt oleaſtro inſerere, inſeritur autem calamo, & inoculatione, eodem authore, & cotinodis uocatur, ut diximus.

MATERIES.

Cariem, uetuſtatemq; non ſentit.

OLEVM.

Oleum ex oleaſtro tenue eſt, multoq; amarius, quàm oleæ, tum ad medicamenta utile.

De domeſticarum olearum generibus. Cap. X.

VRbanarum Theophraſtus plura genera eſſe inquit. Vetus Cato multorum generum meminit, eadéq; ab eo M. Varro, Virgilius, Columella, Plinius, & Palladius mutuantur. Sed Columella olearum, ſicut uitium, plura genera eſſe inquit, ſed in ſuam notitiam decem peruenerunt, quæ in duo partiuntur, ſcilicet quæ ad eſcam, et quæ ad effuſionem, ut de uitibus dicemus. Omnis olea maior ferè ad eſcam, minor uerò oleo aptior, & ut à Catone incipiamus. Cato meminit condituæ oleæ. Sed ab eo M. Varro non condituam, ſed conditaneam dicit. Sed Columella & Plinius huiuſmodi non meminere, ego potius olearũ genera exiſtimarẽ, quæ condiuntur, quàm olearũ ſpetiem: nã idẽ M. Varro cõdiua mala uocat ſtruthia, cotonea, et reliqua: quæ apta cõdi, et aſſeruari, quemadmodũ poſtremo quæ apta cõdi sũt, manifeſtabimus. Orchitis Cato meminit, et eiuſdẽ ab eo M. Varro, et Virgilius Georg. ſecundo.

Nec pingues vna facie naſcuntur oliuæ.
Orchites, & radij.

Digitized by Google

Columella ait. Orchitis melius ad eſcam, quàm ad liquorem ſtringi tur. Orchites Cato optimè condi dixit, uel uirides in muria, uel in len tiſco contuſæ. Et ab eo Plinius eadem refert. Et poſt pauſiam colligi, nõ naturæ uitio, ſed operæ, cui plurimum olei, et quia tenerrima amur ca cogit decidere. Dicitur orchitis, ut Seruius inqt, ab obſcæna, & græ ca etymologia, ideſt à teſticulo, qui orchis dicitur. Probus à magnitudi ne appellatos dicit, quod teſtibus ferè par ſint, nam grandes ſunt, ut à nonnullis archemoræ uocentur. Has ergo ipſe exiſtimarem certo eſſe, quas Hiſpania nobis, uel Caieta mittit, ſunt enim nucis iuglandis ferè magnitudine, teſticulorum ſimilitudine ouatæ, ad eſcam cõduntur, toto orbe inſignes, ut Columella in ſampſa, epityro, & nigræ oliuæ conditu ra docet. Vocat et uetus Cato radium maiorem: eadem uerba receſſet ab eo M. Varro. Virgilius plures radios eſſe demõſtrat ſuis uerſibus.

Orchites, & radij.

Columella enim radium ad eſcam idoneum magis, quàm ut liqueſcat dicit. Plinius ab autumno poſt pauſeam, et orchitem radium colligi tra dit, quia tenerrima amurca cogit decidere. Columella radios neq; ſpe tie, neq; oleo tam grata eſt, quàm licinia, & pauſia. Minorem radium in ſampſa radiolum uocat, ut uidebimus. Seruius radium dici ait à lon gitudine, quod oblongæ ſint. Apud nos pizzutelle *uulgò dicimus, qua ſi acutiuſculas dicas, quod oblongæ, & utrinq; acutæ ſint. Columella regiam ſpecioſiſſimam facit, et ponus eſcæ, quàm oleo idoneam tradit: ſed ſi licinianæ, pauſiæ, & orchiti comparaueris, neq; ſpecie, neq; cibo ſunt tam gratæ. Plinius ad hæc. Omnino in uita error eſt publicus, tu more oliuæ oleum creſcere exiſtimantium, præſertim cum magnitu dine copiam olei non conſtare, indicio ſunt, quæ regiæ uocantur, ab alijs maiorinæ, ab alijs phauliæ grandiſſimæ, alioquin minimo ſucco. Et in Aegypto carnoſiſſimis olei exiguum: Decapoli uerò Syriæ per quàm paruæ, nec cappari maiores, carne tamen commendantur. Theophras ſtus phaulias dicit, quibus caro multa, nucleus paruus, & parciſſimè præſtat oleum, & ijs acerbum oleum fieri. Polluci phaulia eſt quam hic colli*

hic collimidam, & trobellum uocat, et apud eundem Pherecrates tram
bellos in oleaſtro inſitas oleas uocabat. Nobis vulgò dicuntur, **oliue
rotonde**, quia rotunda ſpecie ſunt, magnæ, & pulcherrimæ, & ad
eſcam conditis utimur. Poſeam oliuæ ſpetiem Cato dicit, ita etiam
Varro. Virgilius Georgicorum ſecundo non poſeam, ſed pauſeam dicit.

Orchites, & radij, & amara pauſia bacca.

Cato poſias optimè condi dixit, uel uirides in muria, uel lentiſco contu
ſas; quæ eadem ab eo Plinius recenſet. Columella. Ex ijs pauſiæ iu=
cundiſſima bacca eſt, cuius oleum ſaporis egregij, dum uiride eſt, uetu
ſtate corrumpitur, & optime uapores ſubſtinet. Eam in Sampſa nomi
nat pauſeam, & poſiam, & epityro, & in nigræ oleæ conditura. Pli
nius ad hæc. Prima ab autumno colligitur pauſia operæ uitio non na=
turæ, cui plurimum carnis: hanc etiam ociſſimè occupatam, quia eſt
tenerrima, amurca cogit decidere. Purpureæ ſunt et in ijs, ut vuis in
nigrum colorem tranſeuntibus, pauſiæ. Probus poſſiam appellat, for=
taſſe ex literarum cognatione: Seruius pauſiam à pauiendo, ideſt tun=
dendo, dictam autumat, aliter enim oleum ex ſe non facit. Alij à ſapo=
re nominatam dicunt, quod fiat pauſi, ſunt enim eius baccæ amariſſimi
ſucci, ob id incomeſtibiles. Ego ipſe puto pauſeam Apuliæ vulgo uoca
tam **paſola**, cuius callus immaturæ uireſcit, maturæ ex purpureo pu=
nicat, nitidiore cuticula: orbicularis, communi maior, uireſcens ama=
riſſima, matura iucundiſſima, optima oleo, eſca ue. Sunt & oleæ, quæ
ad effuſionem. Cato Liciniam nominat, & ab eo Varro: Sed Colu=
mella ait, optima oleo licinia, uel liciniana: & ubi de oleo conficiendo
loquitur, maxime ad oleum licinianam peti poſt regiam, & ſi hæc deſit
culminia. Plinius etiam differri ad Martium menſem, quia calloſæ, &
contra humorem pugnaces, ob idq; minimæ, ut licinia, non ante fauonij
flatum nigreſcentes. In agro Venafrano, licinianum habetur oleum, un
de & liciniæ gloria præcipua oliuæ. Vnguenta hanc palmam dedere,
accomodato ipſis odore. Dedit & palatum delicatiore ſententia. De
cætero baccas liciniæ nulla auis appetit. Hodie vulgò **oliue pollino**

le dicuntur, quia paruæ, uel corrupto liciniæ uocabulo. Cato etiam culminianam nominat. M. Varro ab eo culminiam dicit. Columella poſt liciniam regiam ultimo loco culminiam baccam probat. Plinius cominiam uocat, & usq; ad Martium differri ait, quia calloſæ, & contra humorem pugnaces, ob idq; minimæ. Cato ſergianam nominat, & ab eo Varro. Sed Plinius ſergiam baccam à Sabinis regiam dici ait. Sed Cato, & Varro, qui ſergiam nominant, regiæ non meminerunt: Sed Columella & ſergiam, & regiam nominat, & plurimum olei afferre dixit, ac optimè frigus ſuſtinere. Meminere etiam Cato, & Varro ſalentinæ, omiſſæ à Columella, et Plinio, ego eam familiarem exiſtimo Solentinorum regioni in hoc noſtro regno, ubi ingentia olïueta ſunt, & maxime fructifera. Atq; etiam à regione Plinius picenas, & ſidicinas in Italia de picenis martialis.

Si mihi picena turdus polleret oliua.

Meminerunt ijdem albiceræ, à Plinio, & Columella prætermiſſæ: ſed eius loco Columella algianam, næuiam, circitem, & myrteam nominat, & næuias conuiuiorum epulis preparari, ut in eius conditura dicemus. Plinius cotinas nominat, & in Maium menſem differri, quia calloſæ, & contra humorem pugnaces, non ante. 6. idus februarij nigreſcentes. Suntq; & ſuperbæ, & prædulces præter iam dicta genera, per ſe tamē ſiccatæ, vuisq; paſſis dulciores, admodum raræ in Africa, & circa Emeritum Hiſpaniæ. Sunt et apud Pollucem olearum genera hæc, drypetes, halmades, nectrides, cotinadas, trambelos uocauit Pherecrates. Eſt & proprij generis olea dicta calliſtephanos, de qua Ariſtoteles, huius folia contrario modo ſe habent, quàm in alijs, extra ſiquidē nō intus albēt, ramos mittit, ut myrtus, ad coronas peraccōmodos.

De cœlo, & ſitu oleę conuenienti. Cap. XI.

THeophraſtus, vt ab eo initium ſumamus, neq; frigidis, neq; calidis locis optimè oleam prouenire poſſe memoriæ ſcriptū reliquit, quòd per ſumma terræ radice cohæreat, facilè nanq; gelu cōcreſcit, frigiditas

Digitized by Google

giditas enim eximit humorem, & ad conuenientem coctură perducere nequit, hinc olearum aliæ fructum nulla carne, ſed oleo refertum profundunt, aliæ canorſum ſine oleo præſtant, nam plus caloris ad oleum concoquendum requiritur. Gelidioribus locis oleas ſucco carere (non ſapore, ut perperam uertit Theodorus) tradidit libro de cauſis, cum ſuccus ad conficiendam carnem intendatur, & calor deficiat, qui oleo conficiendo neceſſarius, quamobrem uere nullum fit oleum, quia calor exiguus, æſtate non bonum, quia nõ regnauit ſatis, ut autumno fit, quia calor inualuit, & ſi in æſtate uigor, in autumno diuturnitas, quamobrẽ oleum æſtate fieri ſolet, neq; frigus oleoſum ſuccum coquere poteſt. Aquæ tàm cœleſtes, quàm per rigua demiſſæ pulpam augent, oleum nil ſe carni permiſcet, ſed per ſe manet. Sunt olearum ægyptiarum ſpecies, altera oleo faciundo inepta, altera utilis, & pinguis. Cæteri uerò agricolæ uarijs olearum generibus uarias cœli qualitates ſtatuerunt. Cato in calido agro cõditiuam oleam, radium maiorẽ ſalentinã, orchitẽ poſeã, ſergianã, colminiã, albicerẽ. Si ager frigidior, ibi oleã licinĩa ſeri oportet, nã ſi in calido ſeueris hoſtus neq; erit, et ſerũdo arbor peribit, et muſcus ruber moleſtus erit. M. Varro eadẽ ab eo recẽſet, ſed ipſius abſtruſa uocabula interpretatur: Ait enim hoſtũ uocare, quod ex uno facto olei reficitur, factũ dicere, quod uno tẽpore cõficiunt, quem alij centum ſexaginta aiunt eſſe modiorum, alij ita minus magnum, ut ad centũ uiginti deſcendat, et exinde, ut vaſa olearia, quot, et quãta habeant, quibus conficiunt illud. Columella. Nulla ex ijs generibus, aut perferuidũ cœli ſtatũ patitur, aut gelidũ, itaq; æſtuoſis locis ſeptentrionali colle, frigidis meridiano gaudet, optimè uapores ſuſtinet pauſia, frigus ſergia, Plinius, quod ab his habet refert. Fabianus negat prouenire in frigidiſſimis oleã, neq; in calidiſſimis, et ſine dubio in his ſolum maxime, cœlũq; refert. In Theſſalia circa Lariſſam emiſſo lacu frigidior facta eſt regio, oleæq; deſierunt, quæ prius fuerant. In India ſterilis, præterquam oleaſtri fructu. Principatum in hoc quoq; bono obtinuit Italia toto orbe, maximè agro Venafrano, eiusq; parte, quæ licinianum fundit oleum:

reliquum certamen inter Iſtriæ terram, et Bæticæ par eſt. Vicina bonitas prouincijs, excepto Africæ frugifero ſolo. Reliqua ex Catone refert. Horatius de uenafrana olea.

Preſſa venafranæ, quod bacca vetuſtat oliuæ.

Herodotus in Aſſyria in feruidis locis ficus, & olea nequaquam de principatu contendit, cæteris usq; adeo ferax, ut ducenta reddat, & trecenta. M. Varro effert, quæ in agro Caſſinate naſcuntur. Virg. idē.

„ Atq, olea magnum veſt re Taburnum.

In Sabinis laudatiſſimæ. Bætica Hiſpaniæ regio oleis fertilis. Silius.

Palladio Betis ornatus cornua ramo.

Nulla palladia magis ſeſe arbore tollit.

Sed Florentinus ſic loqtur. Calido, ſiccoq; cœli ſtatu gaudet, ut in Lybia, & Cilicia uidere eſt. Sed de ſitu nunc uidendum. Id peculiare in oleis adnotauit Theophraſtus, quod trecentis à mari ſtadijs prouenire non poſſe uidetur. Huc ſpectant locorum differentiæ ad arborum habitudines. Apud Tarentum oleis id accidit, ſilens enim ſpiritus ſenſu perſpicuus eſt. quippè pleraq; aduruntur, et cū flatus ex mari talis occurrerit, inuecta ſalſugine corrodit flores, ac populantur. Caligo quoq; ſine ullo uēto quædam egredi uidetur, quæ ubi flores inuaderit, exurit. Cato ager oleto conſerundo in fauonium ſpectet uentum, & ſoli oſtentus ſit, alius bonus nullus erit. Columella. Sed neq; depreſſa loca, neq; ardua, magisq; modicos cliuos amat, quales in Italia Sabinorum, uel tota prouincia Bætica uidemus. Hanc arborem pleriq; exiſtimant ultra miliarium ſexageſimum à mari, aut non uiuere, aut non eſſe feracem, ſed in quibusdam locis rectè ualet. Ouidius de Sabinorum agro.

Primus oliuiferis Romani deductus ab agris.

Plinius. Negauit Theophraſtus niſi intra quadraginta .m. paſſuum à mari naſci, & Cato ait, ſpectare oleta in fauonium debent, loco ſolibus expoſito. Palladius. Amat hæc arbor arduo locorum ſitu mediocriter ab humore ſuſpendi, ſcalpi aſſiduè, lætaminis ubertate pingueſcere ſeraːibus uentis clementer agitari. Sed Florentinus accommodatè de ſitu loquitur

tu loquitur

tu loquitur. Auxiliantur ad aeris commoditatem terræ ſitus ācliui, & alti. In ijs enim ſolis ardor uentorum proflatu refrigeratur, quare optimum exhibent oleum, planis uerò, & campeſtribus locis oleæ minus impetu uentorum agitatæ, atq; inſidenti æſtu ambuſtæ ſpiſſius oleum mittunt, ſiquidem cum omnes ſtirpes, tum oleæ maximè aduerſo flatu roboratæ uigent, argumento, quòd oleas læuiores, & uirentiores offendes locis, qui uentis patent, triſtiores ijs, qui à flatu ſilent, nec ſpiritus nouitate recreantur, modo id intercedat ſpatij, quòd liberæ peruagentur auræ. Igitur accliuibus, & arduis locis oliuæ lætantur, quod proprium nactæ uentum, nil præter ſpirant, ſed in omnes partes æqualiter inſinuans, arborem excitat, & auget.

De ſolo oleæ debito. Cap. XII.

NON *minus in ſoli electione, quàm cœli ueteres agricolæ diligentes fuere. Theophraſtus albicantem argillam oleis fertilem eſſe dicit, quæ multū uaporis, flatusq; contineat, quod olearum natura deſiderat. Exoptat præterea ſolidum, ſiccumq; ſolum, quia oleæ alimentum ſiccius, calloſumq; querunt. Ad ſummū campeſtre ſolū oleis maximè conuenire ſtatuit. Cato diuerſis olearū generibus diuerſas ſoli differentias diſtribuit. Craſſo agro oleam condiuam, radium maiorem, ſalentinam orchitem, poſeam ſergianam, colminiam albicerem, uel quam earum in his locis optimam dicunt eſſe, eam maximè ſerito, macriori oleā licinianam. M. Varro eadem ab eo refert. Vergilius ſecundo Georgicorum oleis his uerſibus ſolum ſtatuit.*

Difficiles primum terræ, colleſq; maligni
Tenuis vbi argilla, & dumoſis calculus aruis
Palladia gaudet sylua viuacis oliuæ.
Indicio eſt tractu ſurgens oleaſter eodem
Plurimus, & ſtrati baccis ſylueſtribus agri.

Columella aptiſſimum genus terræ eſſe oleis dicit, cui glarea ſubeſt,

ſi ſuperpo

Digitized by Google

ſi ſuperpoſita creta ſabulo admiſta eſt. Non minus probabile eſt ſolum, ubi pinguis ſabulo eſt, Sed & denſior terra, ſi uuida eſt, et læta, commodè recipit hanc arborem. Creta ex toto repudianda eſt, magis etiã ſcaturiginoſa, et in qua ſemper uligo conſiſtit. Inimicus eſt ager ſabulo macer, & nuda glarea. Nam ſi non emoritur in eiuſmodi ſolo, nunquã tamen conualeſcit. Poteſt tamen in agro frumentario ſeri, uel ubi arbutus, aut ilex ſteterat. Gaudet etiam collibus ſiccis, & argilloſis, at humidis campis, & pinguibus lætas frondes ſine fructu affert. Plinius omnia, quæ Cato habet, transfert. Præterea glareoſum ſolum oleis aptiſſimum in Venafrano, pinguiſſimum in Bætica. Palladius libro primo. Terra profunda (quod Græci aſſerunt) oleæ grandes arbores efficit, fructus minores, & aquatos, ac ſeros, magisq; amurcæ proximos. Aer oleas tepidus iuuat, & uentus mediocris ſine ui, & horrore perflabilis: cætera ex alijs habet. Florentinus ad hæc. Porrò ſolum uuidum, & lætum commodè recipit hanc arborem, uberioresq; dat oliuas, quapropter id præferẽdum fuerit, ſecundum ſibi locum uendicat, cui argilla alba ſubeſt, tertium argilla dura. Profundum, & Rubricoſum repudiatur, quòd ſuo æſtu ſtirpes exurat: ſed longè magis ſaleſbroſum, & ſcaturiginoſum, in quo ſemper uligo conſiſtit, damnatur, quippè quòd ſtrigoſas, & minimè altiles baccas, uliginoſosq; partus creat, ieiunior paulo terra, ut Attica teſtatur, accommodatior. Apuleius. Oleas in aridioribus locis uehementer uberes prouenire experimentum docuit. Apud nos amœniſſimi colles, et tepidiores planicies oliuetis uirẽt: iuxta Caſinatiũ arua adiũgũtur Venafrana mõtiũ imæ partes oliuis cõueſtiũtur, glareoſa terra gaudẽtibus, et meridiano ſole, quarum oleo ob purũ ſuccũ palmã unguẽta dedere. M. Varro connumeratis aliquot Italiæ locis, ubi quædã ad uictum humanum cæteris præſtantiora naſcũtur, ad oleum agrum Caſſinatem prætulit. De Venafro Horatius.

„ Viridiq; certat
Bacca Venafro.

Et Martialis.

Digitized by Google

Hęc tibi campani ſudauit bacca Venafri.

Turditanum oleum bonitate præcipuum aliqui dixerunt. Ouidius de Pepareto Metamorphoſeos ſeptimo.

Et Gyaros, nitidæq; ferax Peparetos oliuæ.

Samos etiam oliuetis fæcunda: Sycion Vrbs Achaiæ. Ouidius in Ibim

Aut ut oliuifera quondam Sycione profecto.

De Mitiſca Virgilius Italiæ urbe Aeneidos ſeptimo.

Ereti manus omnis, oliuiferæq; Mitiſcæ.

De Eurota Statius libro quarto, & duodecimo de lycabeſo.

„ Et oliuiferi Eurotæ

Dura manus.

„ Et pingui melior Lycabeſos oliua.

Caſſinas ager apud nos olei, quàm frumenti feracior, magnumq; ueſtigal ex eo comparant agricolæ, & non procul ab eo montana Calatia, cuius colles oleta diſtincta oleaſtris habent, quarum baccæ reliquarum dulcedine commendantur. Surrentini colles lætis etiam oliuetis conueſtiuntur, in maris proſpectu, quibus viuum ſaxum, lætumq; ſubeſt ſolum.

Quibus modis naſcatur olea. & primum de ſemine. Cap. XIII.

NON parui momenti eſt hæc inter eas, quas primo explanauimus dotes, quòd olea modis omnibus enaſcatur ſola, quibus omnia terræ naſcẽtia ferè generantur, nã ita facilius oliuetũ cõparabimus, olearũq; copiã nãciſcemur, dẽpto modo uno, quẽ recẽſet Theophraſtus libro de cauſis, ſcilicet, quòd ſũmis ſurculis prodire nequeat, cuius cauſam affert, quòd ſurculi, qui in ſummo nouelli nuper extant, inepti ſint ad radicum conceptionem, eorum ſiccitate, & tenuitate, in ea enim tenuitate haud multo ſucco abundare poſſunt, qui germinationi fauet. Et ſi in hiſtorijs ſcribat, nonnunquam adminiculo

Digitized by Google

ad hederam defixam uitam egiſſe communem, & arborem factam, id uerò rarè accidit, ſed id ſcribẽdum, quod maior i ex parte à natura fac titatum uidemus. Nec nobis rarò in uineis ſummis oleæ ſurculis, uirgiſq; pro palo depactis, & radicaſſe, & ad iuſtam magnitudinem deueniſſe, uidiſſe contingit. Sed olea naſcitur ſemine, ramo, taleis, trunco, ligno, radice, aliiſq; modis, quos recenſebimus. Sed ſationis per ſemen modus ab omnibus improbatur, tum quia ſeculorum turba indigemus, dum fructum afferat, tum quòd fructus deterioreſcit. Theophraſtus è nucleo oleæ ſylueſtrem naſci ait, & ex olea oleaſtrum fieri poſſe, ſed ex oleaſtro oleam raro euenire. M. Varro ait. Oleæ ſemen, cum ſit nucleus, quòd ex eo tardius enaſcebatur colis, quàm ex taleis, ideo potius in ſeminariis taleas, quàm nucleos ſerimus. Antonius Venutus non in prima ſatione nucleum deterioreſcere ſcribit, ſed ſexta, uel ſeptima, quod magis ueritati conſonum reor, ſic à ſylueſtri habitu in urbanum, non niſi æuis euenire. Si quis tamen ſemine ſerere uelit, eligat oliuam magis oleoſam, & optimè maturam, quam pulpa mundet, ac liquidiore ſtercore ammiſtam ſcrobiculis palmum profundis obruat, et ſingulis hebdomatibus irriget, tertio deinde anno transferat, immo quo pluries transfertur, melioreſcit, ubi optimè comprehenderit, inſerat ſub terra effoſſo ſcrobe, paulatim ubi creſcit, terram aggerando.

Oleæ plantatio per ingentes ramos Cap. XIIII.

EX multiplici oleæ ſerendi ratione, non in ultimis ponenda eſt ea, quæ per ingentes fit ramos. Theophraſtus in hiſtoriis, & libro de cauſis ſcribit oleam ramis exurgere poſſe, cum oleæ rami prægrãdes humore non uacẽt, ſcilicet pinguedinis, ſpiſſitatiſq; cauſa, unde exiccatu difficiles ſunt. Intelligit Theophraſtus per grandiores, ſiue groſſiores ramos oleæ brachia, quæ non in ſummo, ſed quæ iuxta truncum ſunt: Sunt enim humor, pinguedo, & ſpiſſitas præſentis uitæ ſedes,

& futuræ

& futuræ auſpicia. Leontius græcus *huiuſmodi ſationis modum edo cet. Nonnulli craſſiores ramos ex arboribus adimunt, & ex ijs paras tes præcidunt, quæ binum cubitorum proceritatem impleant, dein in rectum conſtitutos adobruunt. Alij inſignes ramos quinum, aut quaternum cubitorum longitudine à caudicibus ſerra præciſos ſolo committunt, ſed rubrica partes notant, quibus obuerſæ hæterant, ut quem admodum in ſcrobe cohærebant, ita parte ima terram, & cacumine cælum ſpectantes deponantur, ut celeriori proficiant incremento, celeriorem'q; fructum largiantur.* Hoc modo *ſatum* Moroni iuxta Capuam *oliuetum uidimus. Erant enim rami prægrandes, ut utriuſq; manus indicibus, & pollicibus in orbem diductis uix cingerentur: erant ſcrobes trium pedum altitudinis, & latitudinis, in ima parte rami acuti, ſtercore uitulino obducti, intus infixi, terra cooperti, ac uectibus calcati, ſenis, uel ſeptenis pedibus ſupra terram extantibus, ſuprema pars nodoſior, ex qua ſperantur germina. Sunt qui infimam partem ſcindant, ac lapidem indant, & ſic citius radices elicere dicunt. Superior cæſura fimo, lapide, uel aliquo munimine cooperitur, ne gelu, uel calor intus intrudatur, & exareſcat ramus, ſic tertio, uel quarto à ſatione anno fructus attulerunt.*

Quod etiam ligno, uel ſtipite per longum diſciſſo olea exurgere poſsit. Cap. XV.

NVNC *etiam naſcendi modum ferè prodigioſum oleæ proferemus, ad facilem huius plantæ propagationem demonſtrandam, ut non ſolum ramis, & taleis, & trunco ſine radicibus, ſed ligno, id eſt trunco in plures partes per longum diſciſſo (quod nulli, niſi ſoli oleæ contingit) exurgere poſſit. In hiſtorijs* Theophraſtus *ligno oleam naſci poſſe ſcripſit, & ſi inepta uideatur ad germinationem ſubſtantia. In libro uerò de cauſis rationem affert: Nam denſitate ſui corporis uitale illud, genitale'q; ſemen, præcipuè non*

Digitized by Google

ſine adminiculo naturalis humoris ſeruare diutius poteſt, at ſi denſitas ſiccitati comes ſit, ſufficere nequit, & ſi uel uniſtipites ſint: Sectam nanq; non ſolum depactam arundinem, ſed etiam ſectæ partem prodire uidemus, ſicut & oleam. Ligna enim oleæ è truncis abſciſſa ſeruare ſuum uitale principium poſſunt, ut ad excitandum germen mouere ſe ualeant. Modus autem eſt. Ligna oleæ palmo minora diuidi haudquaquam oportet, neq; corticem detrahi. Nec minori admiratione dignum uidetur, quod una omnium germinat in opere, ut Theophraſtus dicat, oleaginea materies tum rudis, tum ſæpè elaborata, ſi humorem nacta fuerit, locumq; adipiſcatur humectum, germen potiſſimum citabit, ita ut iam cardo ualuæ, & poculum limo immerſum prodantur regermi naſſe. Ob id Virgilius, qui omnia, quæ de plantarum generatione carminibus mandauit, ex Theophraſto excepit, id non prætermiſit, inquiẽs in Georgicis.

Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.

Sed reor per ſiccum lignum caudices intelligat in plures partes per longum diſciſſos, ut ligna ſcindere ſolemus, quæ igni deſtinamus, non quòd uerè ſiccum ſit lignum, ſed poſt longam moram humore ferè omni orbatum, ſiccum uideatur. Didymus ſationis modum demonſtrat. Non deſunt, qui ſecta ab imis radicibus ligna, quæ apud Syros gorphia appellantur, plantarijs deponant, poſtea quum comprehendiſſe ſic uidebũtur, ut mutationi ſit locus, transferunt. Multi non in plantarijs, ſed propria terra deponentes ipſa, non aberrarunt. Leontius etiam ad hæc. Non deſunt, qui reciſa ab imo caudice ſegmenta ſeſquipedalia, ita ut nec corticem, aut ullam alia partem, quam ſerra præciderit, lædant, & in defoſſam ſcrobem lapide ſubiecto deponunt, & aggere ſic obruunt ad palmi altitudinem. Memini me uidiſſe oliuetum deputantes, ramos, truncos, & imos caudices igni deſtinatos ſecuri ſcindentes in congeriẽ accommodaſſe, ut cum occaſio daretur, aliò tranſmitterent, ac per annum ibi ſteliſſe, captumq; poſtea ex ijs lignum unum, & arenis in litore

Digitized by Google

tore malleo ualidis ictibus infixum, cuius ope ergata nauigia ad ſiccum traherentur, poſt annum pullulaſſe, & ramos emiſiſſe, ut quod de oleæ uiuacitate noſtri maiores ſcripſerint, procul dubio ſit credendum.

Quod etiam trunco exurgat olea, & propagine. Cap. XVI.

TRVNCO *etiam noſci poſſe oleam Theophraſtus libro de hiſtorijs tradidit. Leontius græcus & credidit, & docuit, inquens. Quidam reciſos è caudicibus maiores truncos, & relicto ſuperius cortice, cacumine tenus adobruunt, ſic tamen, ut quatuor alte digitis ſupe remineat. Cato quomodo olea propagetur docet, ut cæteræ plantæ. Ab arbore abs terra pulli, qui naſcuntur, eos in terram deprimito partem, ut radicem capiant, inde biennio poſt effodito ſeritoq́.*

Vſitatus per ſobolem oleæ ſerendi modus Cap. XVII.

QVOD *ſobole naſcatur olea, reticuit Theophraſtus, utpote triuialis frequens & uſitatiſſimus modus, eos deſcribens, qui mirabiliores, ac incredibiliores uiderentur, non tacuit tamen oleam prolificā eſſe, et radice ſummæ terræ hærentem, unde iuxta caudicem plurima proles exurgat, Virgilius peculiarem credidit oleæ ſationem per ſobolem, uocans ſtipites illos ramis ſpoliatos truncos.*

Sed truncis oleæ melius propagine vites.

Plantes enim, quibus cacumina, & germina præciſa ſunt, truncos uocare ſolemus, ſic etiam Priami corpus capite mutilatum, truncum uocauit. Ab eo etiam Columella truncos uocat, ubi libro de arboribus inquit. Melius autem truncis, quàm plantis oliuetum conſtituitur. Sed quinto libro ubi de plantarum translatione è ſeminario in oliuetum loquitur, ait. Optimum eſt omni fronde priuare truncum, atq; leuatis

Digitized by Google

plagis, fimoq; , & cinere oblitis in ſcrobem, uel ſulcum deponere. Truncus autem aptior translationi eſt, qui brachij craſſitudinem habet. Poterit enim longè maioris incrementi, & robuſtioris transferri, quem ita conuenit poni, ut ſi non periculum à pecore habeat, exiguus admodum ſupra ſcrobem emineat, lætius enim frondet. Si incurſus pecoris uitari non poterit, celſior truncus conſtituetur. Quod Leontius græcus non omiſit. Alij ſobolem cum radice ſerunt. Alij reſidem adhuc caudici plantulam deciſis falce capitibus, en brachijs in truncum redigunt, & terræ ſoſſæ circa Arcturi ortum defigunt. Palladius è ſobole oliuetum conſtitui docet. Februario enim menſe, temperatis locis, quæ in paſtino ponuntur, radicatæ plantæ deciſis capitibus, & brachijs, & in truncum redactæ, usq; ad menſuram cubiti unius, et palmi in fermento terræ foſſæ defiguntur, locum palo antea deprimente, ordei grana ſubteriaciantur, et amputetur ijs quicquid putridi inuentum fuerit, aut arentis, & tunc amputata capita luto uelentur, & muſco, ulmeis uinculis, uel tenacibus quibuſcunq; conſtricta. Sed maximum beneficium eſt, ut proficiant incremento, ſi rubrica partes notentur, quibus obuerſæ ſteterunt, & contra eas ſimili ratione ponantur. Hic eſt uſitatiſſimus, & principalis apud nos oliueta conſtituendi modus, quippè antiquis arboribus adnatos ſtolones, qui trimi, uel quadrimi ſint, pauco negotio ſecuri diſſecamus, & ſi paucis, minimisq; radicibus muniantur, ſed eò meliores fuerint, quò longius à trunco orti ſint, & pluribus radicibus fulti fuerint, hos ſcrobibus mandamus, ut ſeptenis pedibus ſupra terram emineant, ſic tertio, uel quarto anno fructum præbent, & ſi Heſiodus negauerit oleæ ſatorem fructum ex ea percepiſſe quenquam, tam tarda res tunc erat, nunc autem in plantarijs ſerunt, translatarum altero anno decerpuntur baccæ. Sunt qui modum ſationis per taleas huic præferant, cum hic expeditior, & paratior ſit: nam ſi deputantur rami, & plantarijs deponuntur, quinto anno transferuntur, & primo inde, uel ſecundo anno fructus proferunt, cum ſtolones, ut tranſplantationi apti ſint per

decennium

Digitized by Google

decennium immorantur apud matricem, & quinto anno fructus proferunt, ſed id falſum eſt, nam & ſi nulla cura, induſtriaue rami apud truncum, ita & ſtolones apud parentem creſcunt, et ſecundo anno fructus proferunt apud nos. Præterea multum obeſſe arboribus dicunt, quibus detruncantur, cum uulgaris ſit apud colonos ſententia, niſi abradantur interficere parentem. Si uerò dicent, hoc temporis ſpatio, dum creſcunt fructum arbori adimere: reſpondemus eos eliciendos eſſe, qui ab arbore longiuſculè abſunt, ſemper ſupra terram adaggerãdo, ut ſuis radicibus impetratis parentem non officiant.

Quomodo ex radicum oculis exurgat olea Cap. XVIII.

RADICE enim naſci Theophraſtus tradidit oleam: Sed Columella ſationis modum docet. Quidam melius exiſtimant ex radicum oculis ſylueſtrium olearum hortulos excolere, & chorda ſimili ratione diſponere, ſed utrũq; debet poſt uernum æquinoctium ſeri. Palladius ab eo excipiens dicit. Scio pleroſq; quod facilius, & utilius eſt, radices olearum, quæ in ſyluis plerunq; ſunt, aut in locis deſertis, in cubitalem menſuram reciſas, aut in ſeminario, ſi placuerit, aut in olíueto ſolere diſponere, & admiſſione ſtercoris adiuuare. Quare proueniet, ut ex unius arboris radicibus numeroſa plãta naſcatur. Sed Plinius Columellæ placita confutat, et recitat uerba Catonis, cum ſuperius dixiſſet, ubi de olearum plantatione agit, gemma, uel oculo ſeruato, ait ipſe, oculos ſerito. Sed ſæpius ego animi cauſa expertus ſum, cum ſuperuacuas radices à plantandis truncis reſecarem, eas in plures partes diſſecui, & ſcrobibus diſpoſui, ubi æſtate ingruente ex eis uirgarum ſylua pullularit. Sed ego non poſſum non ſatis admirari doctiſſimũ Columellã, expertiſſimũq; agricolã præcipiſſe, diſſecãdas radices ex oleaſtris deſumẽdas eſſe, cũ plantæ, quæ ex ijs naſcũtur, et tardè creſcãt, et ſylueſtres proferant fructus. Sed ſi aliquis reſpõderet fieri poſſe ꝑ inſitionẽ

ut

ut in urbanum habitum mutentur, magis ueniret irridendus, cum mul tis annis id accideret, et contra Virgilium peccant, qui ſyluestres oleas inſeri uetat, nam cum ſæpè accidat comburi oliuetum, germina, quæ imo repullulant trunco, ſyluestres iterum producunt oleas, ubi ſi urbanæ radicibus plantatæ eſſent, idem restituerent oliuetum. Sed ſunt, qui non integras radices, ſed oculos quoſdam, ſeu tumores dicas, ubi eleuata pars rumpere nititur ad termites procreandos, plantent, quos è ueterum olearum radicibus euellunt, hos aliqui oua, ab ouorum ſimilitudine uocant, hæc inquã Columellam, et Palladium per radices intellexiſſe, nam ſi eiuſmodi oculos ex imo ſtipite, uel radicibus ſecuri euellis, et ſcrobibus committis, non plus quatuor digitis altis ſubtili ſupra iniecta terra, miraberis ex eis germina læta, & felices plantulas prouenire. Nec oculos illos eligas, qui turiones foras emittunt, nam trunco ſublati, humoris egeni, ui caloris facile inareſcunt, ſed qui iam iam germina parituri ſunt. Nec pertimeſcendum id arboribus obeſſe, ex quibus huiuſmodi oua diuelluntur, ſi bina ſolum ex ſingulis arboribus demas, nã quodammodo arbores ſollicitantur, & iuueneſcunt. Poſſumus etiam ſine ueterum arborum noxa hiſce oculis etiam noſtra olìueta multiplici ſobole replere, inſpiciendo ueteres arbores, quæ duplici, uel triplici ſtipite humo ſurgunt, duos abſcindere, ſolum unum relinquere, nam ſequenti anno, qui reliquus eſt, obtruncati damna rependet, nam & uberius fructus afferet, & lætius germina producet, uacuumq; locum replebit, & ex obruncati radicibus, caudice & læuioribus brachijs, ubi nitidores partes conſpicobuntur taleas & oua ſecare. Hunc oleas ſerendi modum ſunt qui præferant taleis, primo quia & breuiori tempore radicantur, quàm taleæ, præterea quia è ſeminario in plãtariũ transferuntur, faciliori negotio effodiuntur, & facilior erit cum ſua terra in ſuos ſcrobes translationis ratio, nam taleæ, cum profundius hæreant, in earum effoſſione radiculæ non ſine læſione transferuntur.

De modo ſerendi per taleas, & de ſeminario olearum faciendo. Cap. XVIIII.

VERAM, & præcipuam olearum ſationem Theophraſtus per taleam ſtatuit. Ait enim. Ex ramo præciſo taleas deorſum uerſus ſectura inuerſa ſerere oportet, nec palmo minora præcidere, corticemq; minimè detrahere. Seruntur autem ex his rami, quibus germinantibus terram ſemper aſſiduè accumulandam, quoad ſatis roborentur. Cato inter latinos ita primus docuit, ſeminariumq; hoc modo inſtituit. Taleas oleaginas, quas in ſcrobe ſaturus eris, tripedaneas excidito, diligenterq; tractato, ne liber laboret, cum dolabis, aut ſecabis, quas in ſeminario ſaturus eris, pedales facito, eaſq; ſic inſerito. Locus bipalio ſubactus ſiet, beneq; glutus ſiet. Cum taleam demittes, pede tantum opprimito, ſi parum deſcendit, malleolo, aut mateola adigito, cauetoq; ne librum ſcindas, cum adiges. Palo locum prius ſi feceris, quo taleam dimittas, & ſi ita ſeueris, utilis fiet talea, meliusq; uiuet. Taleæ ubi trimæ ſunt, tum deniq; tibi curæ ſint, ubi liber ſeſe uertet. Si in ſcrobibus, aut ſulcis ſeres, ternas taleas ponito, eaſq; diuaricato ſupra terram, ne plus quatuor digitis tranuerſis emineant, gemma, uel oculo ſeruato, ſed ſi uoles olea cito creſcat, quam ſeueris, ſemel in menſe ſarrito, & circum capita oleagina uſq; donec trimæ erunt fodere oportet. Plinius eiſdem uerbis eadem recitat, ſed aliqua ſunt uerba in eius textu corrigenda. Nam Cato ait gemma, uel oculo ſeruato, ipſe dit, oculos ſerito. Quod ibi tale præcipiendum non erat. M. Varro ad hæc. In ſeminario quæ ſurculis conſlita ſunt, ut olea, eleorum erunt molliora natura cacumina, ea ſumma integēda binis tabellis, deſtra, ac ſiniſtra deligatis, herbæq; elidendæ, & dum teneræ ſunt uellendæ, nam aridæ factæ rixantur, & celerius rumpuntur, quàm ſequuntur. Demum in oleagineis ſeminibus arbores uidendum, ut ſit de tenero ramo ex utraque parte æquabiliter præciſum, quas alij clauolas, alij taleas appellāt, ac faciunt circiter pedales. Columella & ſi uerboſius, preciſius tamē

docet

docet. Primo ſeminarium inſtituito. Libero cælo præparetur, terreno modicè ualido, ſed ſucco ſo, neq; denſo, neq; ſoluto ſolo, potius tamen re ſoluto, id genus terræ ferè nigræ eſt, quam cum in tres pedes paſtinaueris, & alta foſſa circumdederis, ne aditus pecori detur, fermentari ſinito. Tum ramos nouellos nitidos, quos comprehenſos manus poſſis circumuenire, ex feraciſſimis arboribus adimito, & ex his taleas recidito, ne corticem lædas, id cauebis ſi prius uaram feceris, & partem eam, ſupra quam ramum ſecaturus eſt, ſtramentis texeris, & ſine noxa corticis ſuperpoſitæ teleæ ſecentur. Taleæ deinde ſeſquipedales præcidantur, & utraq; parte falce leuentur, & rubrica notentur, ut quemadmodum in arbore ſteterat ramus, ita ima parte terram, & cacumine cœlum ſpectans deponatur: nam ſi inuerſa mergatur, & difficulter comprehendet, & ſi conualuerit ſterilis erit. Sed talearum ſectas partes miſto fimo cum cinere oblinire, & ita totas immergeri, ut putris terra quatuor digitis altè ſuperueniat. Sed binis indicibus ex utraq; parte humantur, hoc facere unde eſt propter foſſorum ignorantiam, ut cum ſeminarium bidentibus colere inſtitueris, teleæ non lædantur. Id debet poſt uernum æquinoctium fieri, & frequentiſſimè ſeminarium primo anno ſarriri, poſtero & ſequentibus, cum iam radiculæ ſeminum conualuerint, raſtis excoli, biennio à putatione abſtineri, tertio anno ſingulis ſeminibus binos ramulos relinqui, quarto ex duobus ramis infirmior amputandus, ſic excultæ quinquennio arbuſculæ habiles ſunt translationi. Palladius eadem quæ Columella habet. Didymus autem ſuadet, ut oliuetis plantulæ ſerantur citra moram, quæ in ſeminarijs contingit, ſi uerò è ſeminarijs translatæ tutum contrahunt uigorem. Etiam ſeminarij modum tradit. Solum in quo ſtirpes pangentur, qualitatem non modo, & figuram ſeminarij, ſed & cælo quoq; conditionem referre debet, ne quod in eo pangitur, noua loci peregrinatione tentetur, maximeq; profecerint, ſi rubrica partes notentur, quibus obuerſæ ſteterunt, ut ſimili ratione ponantur. Porrò legi debent, qui ſeminario deſtinabuntur, non ſtolones caudicibus adnati,

ſed

ſed ſummatim decerpti rami, longitudine cubitali. Dando eſt opera ne cortex ſectione uiolatus collidatur, ſed falcula, quæ acie polleat, uulnus undiq; læuigetur, ſeruata ſtirpis integritate. Stilus parte ima bubulo fimo cum cinere liniendus. Scrobes concamerato ſinu, ut imbrium ſint capaces, excauandi, ramulus non in uerticem humandus, qui tamen palmo à terra extet, arundo affigenda, ut à cultoribus cognoſcatur, ſingulis menſibus usq; ad ſeptimum menſem moueantur. Extirpari debet arbuſcula trimatu altilis, & uegeta, quadrima iam collucari debet, & ſuperuacui termites putari, & ſic transferantur in terram, quam plantare inſtituiſti, ſublata cum plantis terra propria, & hic præſtantior eſt oleæ plantandi modus. Nos eodem die, quo plantare taleas deſtinamus, ab arbore recidimus, & in taleolas diuidimus, ne nimia ſupra terram mora reſiccentur. Et ſi aliqua præpeditus occaſione ſator, quo reciderit die plantare nequiuerit, melius inhumare, quàm ſub dio reſiccari compertum eſt. Id tamen admonendum, cum plantantur, ſi humiditatem terræ aliquam contraxerint, reſiccentur; quod uidetur Plinium adnotaſſe. Non inhumare taleas, aut ſiccare utilius compertum.

De Olearum plantatione. Cap. XX.

CVM è ſeminario in locum, in quem oliuetum inſtituere conſtituiſti, transferemus plantulas, hæc obſeruabis maiorum noſtrorum præcepta. *Et primò Theophraſtus ait. Olea in conſitione amputari deſiderat, ut arbores omnes, quæ ampliorem magnitudinem capiunt, plagas alleuatas contegunt, ne intrudatur ſol, aut imber, nam ſi id acciderit, contrahendi morbi periculũ iminebit. Circũlinunt alij luto, alij ſubdita ſcilla lutum ſuperimponunt, teſtáq; ſuper adijciunt, ſcilla plantam uiridem ſeruat, lutum ſcillam, teſta lutum. Cato plantare ita docet. Oleas cum ſeres benè cum radicibus eximito, cum terra ſuo quamplurima circumligatoq; ut ferre poſſis, in aluco*

*ferri iubeto. Caueto ne uentus, aut imber ſiet cum effodias, aut ſeras,
nam maximè præcauendum eſt. In ſcrobe cum pones, ſummam terrã
ſubdito, poſtea operito terram radicibus fimi, deinde calcato pedibus
benè, deinde fiſtucis, uectibusq; quamoptimè poteris, id autem erit rei
primum. Poſt hæc arbores craſſiores digitis quinq;, quæ erunt, eas
præciſas ſerito, oblinitoq; fimo ſummas, & folijs alligato. Columella
de eius conſitione hæc habet. Scrobes quaternum pedum præparan-
tur anno ante, uel ſi tempus non largitur, prius quàm deponantur arbo
res, ſtramentis incendantur ſcrobes, ut eos ignis putres faciat, quos ſole,
& pruina facere debuerat. Antequam explantes arbuſculam, rubri
ca notato partem eius, quæ meridiem ſpectat, ut eodem modo, quo in ſe
minario erat deponatur. Deinde ut arbuſculæ ſpatium pedale in cir-
cuitu relinquatur,, atq; ita cum ſuo ceſpite plãta eruatur, qui ceſpes ne
reſo.uatur in eximendo, modicos ſurculos uirgarum inter ſe connexos
facere oportet, eosq; pilæ, quæ eximitur, applicare, & uiminibus ita
innectere, ut coſtricta terra, uelut incluſa teneatur, tum ſubruta parte
ima, leuiter pilam commouere, & ſuppoſitis uirgis alligare, atq; plan
tam transferre. Antequam deponatur oportebit ſolum ſcrobis imum
fodere bidentibus, & terram aratro ſubactam immittere, & ordei ſe
mina ſubſternere, & ſi conſtet in ſcrobibus aqua, ea omnis haurienda
eſt, antequam demittantur arbores. Deinde ingerendi minuti lapides,
uel glarea miſta pingui ſolo, depoſitisq; ſeminibus latera ſcrobis circũ
cidenda, et aliquid ſtercoris interponendum. Quod ſi cum ea terra plã
ta non conuenit, tunc optimum eſt omni fronde priuare trũcum, atq; le
uatis plagis, fimoq; & cinere oblitis, in ſcrobem, uel ſulcum depone-
re. In libro uerò de arboribus inquit. Omnes arbuſculas, prius quàm
transferantur, rubrica notare conuenit, ut cum ſerentur eaſdem cæli
partes aſpiciant, quas in ſeminario conſpexerant, alioquin frigore, uel
calore laborabunt ab ijs partibus, quas præter conſuetudinem ſub alio
tractu expoſitas habuerint. Arbuſculam in ſcroben deponere ita rectã,
ut quod à ſcrobe extiterit, in medium ſit, arbuſculam autem à tempe-*

Digitized by Google

ſtatibus tueri diligenter oportet adminiculando, & terræ, quæ in ſcrobe reponitur ſtercora immiſcendo. Plinio adyciendum uidetur, ut ſcrobes fiant ex arborum natura, ut altius demittantur eæ, quæ ſumma tellure gaudent, ut olea. Didymus. Locus, quem oleis dicaueris, runcandus eſt, omniq; alterius generis frutice extirpandus, maceriys, & uiuis ſepibus cingendus, ne aditus pecori detur. Scrobes ante ſationem fodiendi, ut ſole, uentis, & imbribus terra reddatur fragilior, ſtirpesq; iaciant ultro, citroq; radices. Vno, aut altero menſe minimum aridis fruticibus, cremiys, & iys, quæ ignem facile concipiunt ſtramentis ſcrobes adurantur, qui tricubitali altitudine, aut minimum ſeſquicubitali cauentur. Id etiam omittendum non duxi, quod tantopere monent ueteres agricolæ, & primò M. Varro, quod multum refert ad fundi fructus, quemadmodum uicinus in confinio conſitum agrum habeat: ſi enim ad limitem quercetum habet, non poſſis rectè ſecundum eam ſyluam ſerere oleam, quod uſque eo eſt contrarium natura, ut arbores non ſolum minus ferant; ſed etiam fugiant, ut introrſum in fundum ſe reclinent. Columella autem ait, quod olea ſeri poteſt, ubi arbutus, aut ilex ſteterat, nam quercus exciſa radices noxias olíueto relinquit, quarum uirus enecat oleam. Plinius. Olea, ubi quercus effoſſa ſit, male ponitur, quoniam uermes, qui raucæ uocantur, in radice quercus naſcuntur, & tranſeunt. Et alibi. Quercus, & olea tam pertinaci odio diſſident, ut altera in alterius ſcrobe depactæ moriantur. Palladius uerò in Februario. Poteſt olea ſeri ubi arbutus, aut ilex ſteterat, nam cerrus, & eſculus exciſas radices noxias relinquit, quarum uirus oleam necat. Sed in Arcadia ſpectari ſolitam arborem Pauſanias affirmat, è cuius radice una ilex, & olea naſcerentur in quodam fano. Serendarum autem arborum interuallum indicandum. Cato in uiginti quinq; aut triginta pedes ſerit. A quo Plinius. Oleam maximo interuallo, de qua Catonis italica ſententia eſt, in uiginti pedibus minimum plurimum triginta. Sed hoc uariatur locorum natura, non alia maior in Betica arbor. In Africa uerò (fides penes Authores erit) miliaF rai

rias uocari multas narrant à pondere olei, quod ſerant annuo pro-uentu: Ideo 75 pedes Mago interuallo dedit undiq; etiam in macro ſolo, ac duro, & uentoſo cum minimum 45. Betica quidem uberri-mas meſſes inter oleas metit. Columella uerò. Spatium inter ordines minimum eſſe debet pingui, & frumentario ſolo ſexagenum pedum in alteram partem, atq; in alteram quadragenum, macro, nec idoneo ſegetibus quidem, & uicenum pedum. Libro uerò de arboribus ad-dit. Oleam decet inter ſexagenos pedes diſponi, ut ſpatium in latitu dinem creſcendi habeat, nam quæ in proceritatem extenduntur, eua-nidæ fiunt, parumq; fructus ſerunt. Didymus. Sed liberale quin-quagenum cubitorum interuacet ſpatium, ut & caudices perflatu uenti fruantur, & intercedens locus ſeri poſſit, alioqui ſi ſementis ſubtus neglectui habeatur, tanto ramorum ſtipatu luxuriabunt, ut in ſeſe mutua umbrarum beneficia non conferant.

Nunc de tempore ſtatuendum. Tempus autem plantationis Theo phraſtus uernum ſtatuit, & præcipuè oleas: nam quæ autumno ſe-runtur poſt ſationem hyems ſecuta corticem detrahit. Cato ſic tempus præſiniit. Si quis querat, quod tempus oleæ ſerendæ ſiet. Agro ſicco per ſementim, agro læto per ver. M. Varro inter uernum æquino-ctium, & Vergiliarum exortum olea ſeri oportet. Dicit Columella. Plantæ olìueto diſponũtur optimè ſiccis, minimeq; uliginoſis agris per autumnum, lætis, & humidis uerno tempore paulo antea, quàm ger-minent. Libro de Arboribus. Magoni autem placet, ſiccis locis oliuã, aut mox poſt æquinoctium ſeri, aut ante brumam: Noſtræ ætatis agri colæ ferè uernum tempus circa calendas Maias ſeruant. Plinius. Ma-go in colle, & ſiccis, & argilla inter autumnum, & brumam ſeri iuſ-ſit, in craſſo, aut humido, aut ſubriguo à meſſe ad brumam, quod præ-cepiſſe eum Africæ intelligitur. Italia quidem nunc uere maximè ſe-rit, ſed ſi & autumno libeat, poſt æquinoctium 40. diebus ad Vergili arum occaſum 14. ſoli dies ſunt, quibus ſeri noceat. Sub Eteſiarum flatum conſerunt oleam in Laconia. Florentinus autem græcus inquit.

Seritur

Seritur ab Succulárum occaſu ad Brumam, item uere, quando hæc duo tempora ſeſe imitentur, calidam, humidamq́; ſortita naturam. Autumnus calorem adhuc retinet priſtino ſolis illuſtratu, conceptum humorem à caducis eo etiam tempore imbribus contrahit. Ver autem præcedentibus pluuijs humorem, ab abſceſſu ſolis calorem concipit. Caſſianus Theophraſti authoritate, Aprili menſe oleam plantari poſſe ſcribit, ſic etiam oleas in taleas ſectas humidis, & riguis locis.

De olearum cultu. Cap. XXI.

IAM olearum ſationum rationem deſcripſimus, nunc autem præcepta trademus, quibus iam conſitum, conſtitutumq́; oliuetum colamus, & ſi Plinius dicat, cæteriq́;, nec deſiderare raſtrum, aut falcē, nullamue curam. Et primò de aratione loquemur, & maxime uiri Catonis inter latinos præferēdam ſemper ſententiam audiamus. Quid eſt agrum bene colere? Primum bene arare. Quid ſecundū? Arare. Quid tertium? Stercorare. Qui oliuetum ſæpiſſimè, et altiſſimè miſcebit, is tenuiſſimas radices exarabit, ſi male arabit, radices ſurſum abibunt, craſſiores fient, et in radices uires oleæ abibunt. A quo eadem Plinius profert. Columella. Optimum eſt conſtitutum iam, & maturū oliuetū in duas partes diuidere, quæ alternis annis fructu induantur, neq; enim olea continuo biennio ubcrat. Cum ſubiectus ager conſitus non eſt, arbor coliculum agit, cum ſeminibus repletur, fructum affert, ita ſic diuiſum oliuetum omnibus annis æqualem redditum adſert, ſed id minimè bis anno arari debet, & bidentibus alte circumfodiri, nam poſt ſolſtitium cum terra æſtibus hiat, curandum eſt, ne per rimas ſol ad radices arborum penetret. Palladius. Gaudet hæc arbor aſſidue ſcalpi. Et omnis ſubinde cura circa eas herba uellatur, & quoties imber ſe infuderit breuiſſimis, & frequentiſſimis foſſionibus ſollicitentur, & ſubinde ducta à trunco terra, atq; permiſta in aliquanto altiores cumulos congeratur: idq; menſe Februario.

Prodeſt

Digitized by Google

Prodeſt etiam puluer atio. Caſſianus iubet Auguſto menſe glebas diſſoluere, quo puluis excitetur, hic enim ubi in fructum inciderit, citius eum maturum reddit, quapropter oleæ iuxta uiam ſitæ uberiorem, & pleniorem fructum ferunt, propter excitatum à prætereuntibus puluerem.

Ablaqueatio neceſſaria eſt. Theophraſtus. Poſtq̃ poſitæ ſunt oleæ, curandum eſt de ablaqueatione, ut altiè deſcendat radix. & in profundum mergatur, ob id radices luxuria, & auiditate ſupra excurrentes amputandæ, & præcipuè dum nouellæ ſunt. Olea enim ſuapte natura ſuperficiarias radices habet, & in ſublimi euehuntur, unde prohibere oportet in coaetam profunditatem. Cum adultæ fuerint, auferendas eas iubet, quæ temerè effunduntur, quo plures fiant, & firmiores, & ne matrem exhauriant, lædenturq; à quauis intemperie, quia obex terræ debilis eſt, nec à frigore, uel calore tueri valet. Cato. Circum oleas autumnitate ablaqueato, & ſtercore addito con foueto. Si locus ſiccus erit, per ſementim oleas ablaqueato. Columella poſt æquinoctium autumnale, ita ſunt arbores ablaqueandæ, ut à ſuperiore parte, ſi olea in cliuo ſit, incilia excitentur, quæ limoſam aquã ad codicem deducant. Omnis deinde ſcoboles, quæ ex imo ſtipite nata eſt, quotannis extirpanda eſt. Palladius. Octobri menſe ablaqueandæ ſunt arbores oleæ prouintijs ſiccioribus, ac tepidis, ita ut eis à ſuperiori parte humor poſſit induci. Omnem ſobolem couelli Columella præcepit, mihi autẽ uidetur paucas dimitti ſemper, ac ſolidas, ex quibus uel in uetuſtate, matris loco ſuccedat delecta, uel melius nutrita, & aggeſtæ terræ beneficio, & iam ſuas habens radices, ad oliuetum inſtituen dum ſine cura ſeminarij transferatur arbuſcula. Plinius. Circumfodi autem omnibus ãnis à ſolſtitio duum cubitorũ ſcrobe, pedali altitudine.

Theophraſtus de ſtercoratione putat lotium, & pelliũ ſtrigmenta maxime oleis prodeſſe ad lætè fructificandum. Columella tertio quoq; anno ſimo pabulandas eſſe oleas cenſet, atq; eadem ratione ſtercorari oliuetum, qua in ſecundo libro propoſuit, at ſi ipſis tantummodo arboribus

1139.23 99962364

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google